

Digitized by Google

CONSTITVTIONES EDITÆ IN DIOCESANA SYNODO MESSANENSI

A B

Illustrissimo, & Reuerendissimo Domino

DON ANDREA MASTRILLO ARCHIEPISCOPO MESSAN.





MESSANAE,
Excudebat Petrus Brea. Anno Dom. 1621.

DON ANDRAEAS
MASTRILLVS

DEI, ET SANCTAE APOSTOL. SEDIS gratia Archiepiſcopus Meſſanenſis, Regiuſq; Conſiliarius.

DIGNITATIBVS, CANONICIS, ABBATIBVS, Prioribus, & totius Meſſanenſis Diœceſis Archipreſbyteris vniuerſis. Salutem in D. S.



Achabeorum ille, & primus, & fortiſſimus Iudas cum hoſtes eos, qui, & Hieroſolyma, & templum diruiſſent, vi, virtute atque armis profligaſſet, conuerſus ad fratres ſuos, qua erga Deum pietate flagrabat, ac zelo. his eos allocutus eſſe, perhibetur. Ecce contriti ſunt inimici noſtri, aſcendamus nunc mundare ſancta & renouare. Congregati autē omnes exercitus eo præeunte aſcenderunt in montem Sion: ibi vero, vt ſacræ habent litteræ, viderunt ſanctificationem deſertam, & altare profanatum, & portas exuſtas, & in atrijs virgulta nata, ſicut in ſaltu, vel in montibus, & paſtophoria diruta. Et ſciderunt veſtimenta ſua, & planxerunt planctu magno, & impoſuerunt cinerem ſuper caput ſuum, & conclamauerunt tubis ſignorum, & clamauerunt in cælum. Hæc viri illi pietate egregij cum tantum rerum diuinarum exitium deplorarent. Poſt haſce autem lamentationes, ordinauit, inquit ſacra ſcriptura, Iudas viros, vt pugnarent aduerſus eos, qui erant in arce, donec emundarent ſancta, & elegit Sacerdotes ſine macula, voluntatem habentes in lege, & mundauerunt ſancta.

Vtinam ſacerdotes optimi, pari nos pietate, & animi fortitudine, qua dux ille, inſignes eſſemus; ſed certe quod ad noſtras attinet partes, cum per annos præteritos diœceſim vniuerſam perluſtrabam, videbar mihi quodammodo cum hoſtili exercitu vitiorum, ac dæmonum pugnam conſerere, atque illum ex

parte profligare, qua lustratione feliciter, vt credo, neque indecore peracta per indictã opportune Synodum, quasi in monte Sion ascendimus, vt mundarentur sancta, & res sacræ iamdudũ ab inimicis pessundatæ, ac pœne attritæ, reflorerent, & Vos quidem nobiscum veluti nostræ, imo Iesu Christi, cui omnes militamus eximiæ cohortes, in vnum locum coactæ, veluti ex eminenti quadam specula, sic enim Sion interpretantur, omnẽ rerum diuinarum statum prospexistis. Nolo illa, quæ de templo prolata olim sunt, mirum in modum misera, atque acerba ad nostram Diœcesim transferre. absit enim, vt tantum iacturæ, ac ruinæ, tantum detrimenti, ac damni passa ista sit in animis ab hoste suo, quantum ædes illa in suis altaribus, atque aris, in atrijs, atque exedris subijt, sed oculis tamen nostris deplorandi causę potius se se quam lætandi obtulerunt. Habemus enim sagacissimi hostis spirituales nequitias numquam non ad fallendũ solertes, non ad aggrediendum audaces, nõ ad lacessendum proiectas, non ad deuastandum crudeles. quodque etiam calamitosum est illi ipsi homines Christo domino, atque Ecclesiæ ipsius exercitui iamdudum ab initio ætatis militari sacramento ascripti, ac deuoti, illi, inquam, ipsi, contra quos arma, atque insidię dies, noctesque adornantur, ij veluti à castris transfugæ diabolo, & satellitibus eius in auxiliares copias turpiter adiunguntur ad perniciem animarum, ad interitum & suum & alienum. Itaque cum bellum cum hoste externo ac peregrino susceptum primum sit; factum est intestinum ac ciuile; tanto periculosius, quanto ab occultis, ac domesticis oppugnamur. Nam in spiritualibus dissidijs contra, atque in mundanis euenit; illic enim occultos aduersarios magis, & cauemus, & periculosiores habemus; hic quanto amiciores apparent, tanto infesti magis fallaces vero minus præsentiuntur. Quid quod eorum, quos excubias gregi custodiendo agere oportebat, tãta nonnumquam socordia est, vt irritamentum faciant hosti, vel abiecto? quid quod si quempiam vitio laborantem aliquo, aut crimine debilitatum aduertunt, tanta in eo recuperando negligentia, segnitieq; præpediuntur; vt antequam de loco exurgant, & illius morbus in alienas domos, ac familias contagio irrepente grassatur, & ille iam proclamatus, nullã de cætero remedijs opportunitatem facit. Hinc vitia per vrbes, atque oppida palam vagantia, nullo

pudoris

pudoris freno, licentiæ ac damno plurimo. hinc templorum honos posthabitus, sanctificationibus desertis, altaribus si non profanatis ac exustis atrijs si non herbidis, at inhonoratis, at contemptis.

Et hæc quidem dolenda; quid vero illa? quo fletu, quo planctu excipienda? ecclesiasticos ipsos viros nefarijs in scelus præire, verbo, hortatu, exemplo: sacra vel vasa, vel ornamenta in alienos vsus, atque abusus deripi, sacras sanctiones, & Dei optimi mandata violari ab ijs, quorum pars hæreditatis dominus ipse est, & pars calicis eorum. Ergo in tantis rei nostræ Christianæ damnis, ac periculis occurrendum hosti esse quis abnuat? quis vero diligentiam non laudet eorum, qui sacrosancto Tridentino Concilio interfuerunt Patrum, qui cum hæc omnia, vel commissa, vel committi posse, cognoscerent; synodos diœcesanas quotannis celebrandas indixerunt, vt crudescenti semper aduersario validis vsquequaque copijs obsisteremus. Nostrum vero hoc esse munus, quorum cura, atque imperio ecclesia tam ampla, ac tam nobilis demandata est, nemo erit quin sciat. Itaque ego, cui prodesse magis, quam præesse cordi est nulli operæ ac labori peperci, quo latentes inimici fraudes palam in omnium oculis productas aperirem, indicaremque fugiendas; quo dissipatos per inobseruantiam præceptorum, ac virtutum animarum muros, ac propugnacula rursum excitarem; quo per vitiorum incursiones spoliatas suis ornamentis, atque opibus hominum mentes in integrum in rem suam reponerem, atque omnis huius nostræ industriæ testes locupletes habeo Constitutiones has Synodales, quibus sane conficiendis, cum multum insudauerimus, qua in sacrorum canonum studio, qua summorum Pontificum volutandis litteris, ac mandatis, qua perlustrandis conciliorum, Synodorumque aliis exemplis; tum certe id tota animi nostri contentione studuimus, vt non theorice, ac veluti per summa capita, sed practice, atque aduulnus admota manu remedium scribendo, ac præcipiendo adhiberemus. Vestrum est, sacerdotes incūbere, vt dum nos pugnas, ac prælia cum fidei, religionisque Christianæ inuisibilibus aduersarijs conserimus, quo demum de arce Sion, hoc est de animabus fidelium deturbentur, ac deijciantur; Vos qui sine macula esse debetis, qui voluntates habetis in lege Dei, quosque elegimus, quorum sedulita-

sedulitati, ac diligentiæ nostrarum concrederemus obseruantiā constitutionum, sancta vndique mundate, & abstersa ab ouium nostrarum pectoribus vitiorum tabe integrum, incolumemque gregem intra dominicum ouile deducite.

Nolite per Deum immortalem à tanto opere, siue molis difficultate, siue hostium importunitate deterreri; ne vobis deficientibus, & vitiorum rabies augeatur in dies, & Christianæ rei detrimenta vobis sint dedecori, nobis dolori.

Efficite, ne frustra insudarimus, & quas in his Constitutionibus Christianæ, ac studiosę vitæ formas, imaginesque calamo deduximus, eas in mentibus vestrorum fratrum, nostrorū filiorum inserite vestro studio, vestra opera, vestro exemplo. Ita enim fiet, vt neque Nos nostri laboris pœniteat, neque vos vestræ sedulitatis tædeat. omnes vero studiorum, ac vigiliarum nostrarum fructum à domino omnium, atque Imperatore capiamus.



CONSTITVTIONVM ECCLESIAE MESSAN. IN DIOCESANA SYNODO EDITARVM

PARS PRIOR.

De Summa Trinitate, & Fide Catholica. Titulus primus.
CAP. I.



Hristianæ Religionis, sub qua fideles omnes censentur, fundamentum fides [1] est: quæ nisi pura, atq; integra conseruetur vniuersum Ecclesię Sanctæ ædificium omnino corruat necesse erit. Nos igitur, qui in id, Diuinæ inspiratione gratiæ, omni sollicitudine incumbimus, vt populi nobis crediti falsa Hæreticorum dogmata, alienamque à Catholica veritate doctrinam detestentur: contra vero eam, quã Patres nostri sinceram, atque incorruptam tradidere, Summiq; Pontifices, ac sacrosancta Concilia docuere; & firmiter excipiãt, & intrepide cõfiteantur: [2] quæ sacri Concilij Nicæni Patres fidei præcepta, ac documenta vniuersæ Ecclesiæ proposuere, omnibus

1 Conc. Trid. sess. 3.

2 Concil. Nicen. 1. sub S. Siluest. art. 17

nibus singulisque nostræ Diœcesis quorum præcipue salus curæ nobis est, credenda, profitendaq; subijcimus. videlicet. [1]

1 *Pius 4. anno 1564. in cip. iniunctum.*

Ego N. firma fide credo, & profiteor omnia, & singula quæ continentur in Simbolo fidei, quo S. Romana Ecclesia vtitur, videlicet: Credo in vnũ Deum Patrem omnipotentem, factorem cæli, & terrę, visibiliũ omnium, & inuisibilium, & in vnum Dominũ Iesum Christum filium Dei vnigenitum, & ex Patre natum ante omnia sæcula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt; qui propter nos homines, & propter nostrã salutem descendit de cælis, & incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine, & homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub pontio Pilato, passus, & sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum scripturas, & ascendit in cælum, sedet ad dexteram Patris, & iterum venturus est cum gloria iudicare viuos, & mortuos: cuius regni non erit finis, Et in Spiritum sanctum Dominũ, & viuificantem, qui ex Patre Filioq; procedit: qui cum Patre, & Filio simul adoratur,

& con-

& conglorificatur, qui locutus eſt per Prophetas, Et vnam ſanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor vnum baptiſma in remiſſionem peccatorũ, & expecto reſurrectionem mortuorum, & vitam venturi ſæculi. Amen. Apoſtolicas, & Eccleſiaſticas traditiones, reliquaſq; eiuſdem Eccleſiæ obſeruationes, & conſtitutiones firmiſſime admitto, & amplector. Item ſacram ſcripturam iuxta eum ſenſum quem tenuit, & tenet Sancta Mater Eccleſia, cuius eſt iudicare de vero ſenſu, & interpretatione ſacrarum ſcripturarum, admitto, nec eam vmquam, niſi iuxta vnanimem conſenſum Patrum accipiam, & interpretabor. Profiteor quoq; ſeptem eſſe vere, & propriè Sacramenta nouæ legis à Ieſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, atq; ad ſalutem humani generis, licet non omnia ſingulis neceſſaria, ſcilicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam vnctionem, Ordinem, & Matrimoniũ, illaq; gratiam conferre, & ex his Baptiſmũ, Confirmationem, & Ordinem ſine ſacrilegio reiterari non poſſe. Receptos quoq;, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſu-

pradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio, & admitto omnia, & singula, quæ de peccato originali, & de iustificatione in Sacrosancta Tridẽtina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum proprium, & propitiatorium Sacrificium pro viuis, & defunctis: atq; in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse vere, & realiter, & substantialiter corpus, & sanguinem, vna cum anima, & diuinitate Domini nostri Iesu Christi, fieriq; conuersionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantię vini in sanguinem, quam conuersionem Catholica Ecclesia transubstantiationem appellat fateor etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum, verumq; Sacramẽtum sumi. Constanter teneo Purgatorium esse, animasq; ibi detentas fidelium suffragijs iuuari. Similiter, & Sanctos vna cum Christo regnantes venerandos, atq; inuocandos esse eosq; orationes Deo pro nobis offerre; atq; eorum reliquias esse venerandas. firmissime assero imagines Christi, ac Deiparę semper Virginis, necnon aliorum Sanctorum

haben-

habendas, & retinendas esse, atq; eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem à Christo in Ecclesiam relictam fuisse, illarumq; vsum Christiano Populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam Catholicam, & Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum matrem, & magistram agnosco: Romanoq; Pontifici Beati Petri Apostolorum Principis successori, ac Iesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo, ac iuro. Cætera item omnia à sacris Canonibus, & œcumenicis concilijs, ac præcipue à sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, ac declarata, indubitanter recipio, atque profiteor: simulq; contraria omnia, atque hæreses quascumq; ab Ecclesia damnatas, & reiectas, & anathematizatas ego pariter damno, reijcio, & anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo saluus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor, & veraciter teneo, eamdem integram, & inuiolatam vsq; ad extremum vitæ spiritum constantissime Deo adiuuante, retinere, & confiteri, atque à meis subditis vel illis, quorum cura

ad

ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit curaturum, Ego idem N. spondeo, voueo, & iuro sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia.

CAP. II.

C.T. seß.24.c. 12. de ref. B. l. Tij 4. an. 1564

N.au. de iuriu. conf. 8.

Conc. Trid. loc. citat.

PRouisi de beneficijs quibuscumq; curã animarũ habentibus intra duos menses à die adeptæ possessionis teneãtur in manibus nostris, vel nostri Vicarij Generalis fidei professionem iuxta formam modo traditam emittere. Prouisi vero de Dignitatibus in Cathedrali Ecclesia, vel de Canonicatibus intra idem duorum mensium spatiũ à possessione teneantur idẽ præstare non solum coram Nobis, vel nostro Vicario Generali, verum etiam coram Capitulo, alioqui non faciant fructus suos, nec eis vllo modo possessio suffragetur.

CAP. III.

1 S. Carol. de sum. Trin. c. 10

2 C. T. seß. 5. c. 2. de ref. & s. 24. c. 4.

EAmdem fidei professionẽ in nostra Ciuitate, vel Diœcesi primũ concionaturi emittant. [1] Regulares vero in Ecclesijs, quæ sui ordinis non sunt, concionari non præsumant, antequam eamdem fidei formam coram nobis alioue [2] à nobis cõstituendo professi

fessi fuerint, nisi id alias in nostra Diœcesi eos præstitisse constet.

C A P. I V.

DOcendi etiã munus nullo modo lectores,[1] vel ludimagistri, siue publice, siue priuatim aggrediantur, etiam si gratis, quãcumq; disciplinam, vel etiã prima grammaticæ rudimenta doceant, nisi fidei professione præmissa. Quod vt exactius seruetur, Archipresbyteri quotannis [2] scribant ad nos, qui nam in suis locis hoc docendi munere fungantur, quiq; dictam fidei professionem iurauerint, eorum vero nomina per Magistrum Notarium nostræ M.C. Archiepiscopalis in peculiarem librum conferantur, & in Archiuio asseruentur.

1 C.T.sess.25 c.2. in fin.

Const.Pij 4. de quo supra.

2 S. Carol. to. 1.eod. tit. c.3.

C A P. V.

AT Parochi præter dictam fidei professionem iuramentum ẽt præstabũt iuxta Concilij Tridentini decretum,[1] se Apostolicæ Sedi, Nobis, ac successoribus nostris obtemperaturos: atque iuxta Pij IV.[2] constitutionem, residentiam in suis Ecclesijs facturos; defensuros item iura Ecclesiarum, quibus præsunt, earumq; bona conseruaturos, nec alienaturos. Quod si ea vel à se,

1 sess.24.c.12

2 Pij 4. cõstit quæ incipit in suprema ann. 1564.

 vel

vel à suis prædecessoribus iniuste vendita, vel alienata sint quantum in ipsis fuerit, recuperaturos.

CAP. VI.

DEnique vt etiam ex hoc capite fides catholica integra incorruptaq; conseruetur, caueant Impressores, ne librum, aut aliquid aliud etiam si opus sit perexiguum recenter, vel aliàs de Superiorum licentia typis iam datum, nisi ad id potestatem iterum à nobis habuerint, imprimere præsumant, librorum etiam indicem Sanctissimi D. N. Clementis VIII. iussu promulgatum penes se habeant. Quod si contra fecerint, pœnam excommunicationis, aliasq; arbitrio nostro reseruatas incurrent.

DE SVPERSTITIONIBVS AC *Maleficijs. Titulus secundus.*

CAP. I.



INuigilent Curati, vt veneficia, sortilegia, incantationes, ligaturæ, aliæq; huius generis superstitiones, quæ sæpe plurimorum simpliciũ animis perniciose

nicioſe penitus abigantur. adeoq; ſi quos deprehendent cum Dæmonibus pactiones, aut fœdera expreſſe, vel tacite inijſſe, aut diuinos, ſortilegos, ſeu cuiuſuis generis magos, aut lamias conſuluiſſe, vel quoquomodo adiuiſſe, vel ſiquos etiam tanti ſceleris ſuſpectos nouerint ſtatim ad nos deferant. Si autem in ijs inquirendis, vel deferendis negligentes fuerint, ſuſpenſionis pœnam nouerint ſe incurſuros.

CAP. II.

Moneant præterea populos non carere [1] vitio ſuperſtitionis colligere herbas tali hora, ac die, verba aut orationes ſacras conſcriptas ferre in tali, vel tali carta, [2] vel ſchedulas quaſdã ſeu icones, alijs characteribus, [3] vel figuris, vel ignotis quibuſdam nominibus præter ſignum ſacróſanctæ Crucis exaratas, in Miſſæ [4] ſacrificio vti certo candelarum numero forma, aut colore ab Eccleſia non vſitatis: nolle ad mẽſam aſſidere, & cibum ſumere, dum certus ibi conuiuarum numerus accũbit; aliaq; huiuſmodi ſæpius multitudini inculcent [5] tãquam diabolica fraude ad animas decipiendas inuecta adeoq; omni ſtudio deteſtanda.

1 C. non liceat, 26. q. 5.

2 Extrau. Ioa. 22. incipit ſuper illius ſpecula. Tolet. in ſum. lib 4. c. 14. & 16.

3 Nau. in ma. cap. 11. n. 35.

4 C. T. ſeß. 22 in decr. de ſacr. Miſſ. in fin.

5 Late de hijs omnib[us] conſt. Sixti V. incipit cæli, & terra ann. 1585. nonis Ianuarij

DE DOCTRINA CHRISTIANA.
Titulus Tertius.

CAP. I.



PArochi tam in Ciuitate, quã in Diœcesi per se ipsos, vel si legitime sint impediti per aliũ Sacerdotem [1] idoneum, ita tamen vt ipsi semper assistant, Dominicis, & alijs Festis diebus in suis Parochijs initia fidei pueris tradant, eosque in Dei timore, ac parentum obedientia in primis erudiant. In ijs vero Ecclesijs Sacramẽtalibus in quibus non per proprium Parochum, sed per Cappellanos, vel Hebdomadarios ministratur. Parochus Sacerdotem teneatur aliquem ad id munus destinare. Nomina etiam eorum qui doctrinæ Christianæ docendæ sunt deputati, vt tam salutarem operam opportunè promouere possimus, intra mensem Parochi ad nos transmittant, simulq; caussam explicent, cur per se ipsos id non exerceant.

1 *Conc. Trid. sess. 24. cap. 4. cap. vt quisq; de vit. & honest. Cler.*

CAP.

C A P. II.

ATque vt res tāti momenti fructuosius, & alacrius fiat Sacerdotibus tam sancto, tantæq; vtilitatis operi vacantibus nisi sint ipsi Parochi, dupla portio funeralium tribuatur. Præcipimus præterea omnibus ludimagistris, vt dato signo ad doctrinam Christianam (quod in Ecclesia, vbi ea explicanda sit Curati à prandio ad statutum diem dari iubebunt) omnes in Ecclesiam sibi ab Archipresbytero assignatam cū suis discipulis conueniant, ibique pueros in officio, ac modestia contineant, atque ad ea recitanda quibus rudes instrui possint ad Curati præscriptum, ad hortentur sub pœna suspensionis ab officio, alijsq; pro libito nostro imponendis. Ii vero qui in memoriter reddendis, quæ sibi credita sunt, vel fidei mysterijs addiscendis nauiter se gesserint pijs aliquibus præmiolis publice conde corentur, atque incitentur. Synod. diocef. Mess. eod. tit.

C A P. III

SAcerdotibus vniuersis, qui confessionibus audiendis expositi sunt mandamus, vt si quopiam ad confessionem accedente dubitent, an res ad fidem spectantes

memo

memoriter habeat, antequam eum audiant de ijs inrerrogent, quem si ignorantem deprehenderint, non absoluant, nisi prius de mysterijs omnino necessarijs, nempe de mysterio sanctissimę Trinitatis, Incarnationis, Passionis, ac resurrectionis Dominicę; item de partibus Sacramenti Pœnitentiæ, ac necessaria dispositione ad effectum Sacramenti consequendum pro tempore instituant. Deinde ita instructum, & iam absolutum moneant eum teneri ad orationem Dominicam, Symbolum fidei, Salutationem Angelicam, Dei atque Ecclesiæ præcepta, aliasque huiusmodi addiscenda.

DE LVDI LITTERARVM MAGISTRIS.

Titulus Quartus.

CAP. I.

1 *Cōc. Tr. sess. 23. cap. 18.*



Eminerint Ludimagistri [1] non minus in liberalibus artibus edocendis solliciti esse, quam bonis moribus in teneris discipulorum animis imprimendis. [2] Quo à Sacro Concilio Lateranensi tam sancte præscriptum est. Quare horam

2 *Leo X. in cōstit. super ref. Conc. Later.*

horam aliquam certi diei singulis hebdomadis designent, qua discipulos ad virtutē insectandam, fugiendaque vitia apta adhortatione inflamment. Curent vt Missæ quotidie vbi commode fieri potest, festis verò diebus etiam cōcionibus, ac diuinis officijs intersint. frequentem in primis vsum confessionis, & Eucharistiæ ab illis exigant; ac doctrinam Christianam Cardinalis Bellarmini memoriter recitandam iniungant.

CAP. II.

QVæ vt melius exsequantur, oportet ipsos non solum doctrina, sed vita etiam, ac morum probitate suis discipulis preire vnde intelligant ad hoc officium diligendos eos tantum esse, qui, & doctrinæ experimento, & proborum virorum testimonio commendati fuerint. Libros prætere a non solum indice Clementis VIII. atq; Apostolica auctoritate damnatos, verum etiam illos, in quibus obscœna, inania, atq; iocosa continentur minime prælegant, nec discipulos apud se retinere permittant; sed graues tantum, vel etiam spirituales cum latina lingua pietatem simul redolentes interpretentur. Quapropter mandamus? ne quis

in

in Ciuitate, [1] vel Diçcesi nostra in hoc munus publice, vel priuatim se ingerat, nisi facta prius à nobis, vel Vicario nostro Generali in scriptis facultate, sub pœna vnciarũ decem, & exsilij à nostra Diœcesi.

1 Synod. diœc. Messan. sub eodem tit.

DE VERBI DEI PRAEDICATIONE. *Titulus Quintus.*

CAP. I.



OMnibus curam animarum habentibus prçcipimus, vt singulis diebus Dominicis, & festis solẽnibus populum sibi [1] cõmissum pro ipsius capacitate pascant salutaribus verbis docendo ea, quæ scire omnibus necessarium est. quæque ad vitia euitanda, [2] virtutesque ac Sanctorum imitationem pertineant. quod si Parochus ab hoc munere legitime sit impeditus, vel ad id minime idoneus. [3] Coadiutorẽ in eo sibi adhibeat, vel saltem homiliam Euangelicæ lectionis, vel vitam Sancti, cui dies ille dicatus est: vel è probato libro piũ aliquid recitet quo audientium animi ad Dei amorem, & proximi dilectionem incitentur.

1 Cõc. Tr. sess. 5. c. 2. sess. 24. cap. 4.

2 Cõc. Lateran. sub Innoc. 3. cap. 10.

3 C. inter cętera de of. ord. C. Episcopos 88. dist.

qui

qui contra fecerint, pœnas iuxta Sacri Concilij Tridentini dispositionem aliasque pro arbitrio nostro luant.

C A P. II.

QVadragesimæ tempore quotidie concio habeatur, nullus vero Ecclesiæ Prępositus permittat aliquem in Ecclesia sua etiam Regularem concionari, vel sermonem publice facere, nisi prius obtenta nostra in scriptis licentia; secus seuere puniatur. Atque ipsi Regulares etiam in Ecclesijs sui ordinis verba ad populum non faciant, nisi benedictionem à nobis petierint.

Conc. Trid. loc. citat.

C A P. III.

CÆterum omnes, qui cōcionaturi sunt attendentes ad ea, quæ statuit fel. re. Leo. X. vt vehementes esse debent in vitijs insectandis, atq; coarguendis, ita ne peculiares personas nominatim perstringant, vel vllo modo designēt, sint omnino cauti; atq; Ecclesiasticæ præsertim, vel sæcularis dignitatis personarum manifestam reprehensionem deuitent noua cælitus confecta miracula, vel indulgentias sine nostra licentia publicare non audeant; nec aliquem populo paupertatis nomine commendent, nisi is

Leo X. in const. 15. qua incipit suprema, & infr.

Cōc. Trid. loc. citat.

in Ciuitate à nobis, vel nostro Generali Vicario, in Diœcesi à Vicario foraneo testimonium habuerit paupertatis.

CAP. IV.

S. Carolus p. 3 in instr. Pred. ver. Dei C. qui bus tẽporibus concinandũ tamen tin.

CVrent omnino Parochi, alijq; Ecclesiarum Præfecti, vt conciones interdiu, non noctu fiant. Ea vero quæ de Dominica passione habetur, si fiat feria quinta maioris hebdomadę, non protrahatur vltra dimidiam noctis horam si in Parasceue, non inchoetur, nisi albescente cælo. Pro tempore autem, quo concio durat, Missæ in ea Ecclesia non celebrentur. Teneantur etiã Curati præmonere concionatorem, quid, quo loco pro ciuium qualitate magis inculcandum sit, quæque vitia sæpius arguenda, vt pote populo frequentiora, ita tamen, vt omnem suspicionem fugiant se ad illorum cognitionem Sacramento Pœnitentiæ vsos fuisse. Faciant item, vt mulieres loco à viris seiunctæ concionibus intersint, teneanturque in hoc omnes Ecclesiæ curatis sub pęna excommunicationis obedire.

S. Carol. de offic. prædicat. ca. 16. & loc. cit.

DE

DE IIS QVAE PERTINENT AD Sacramentorum administrationem. Titulus sextus.

CAP. I.


Arochi, dum commodè possunt per seipsos sacramenta ministrent ea, qua decet religione, ac sanctitate. atq; in primis, quod ad interiorem cultum spectat, sine culpa mortali, quod verò ad exteriorem ornatum, vtantur omnes in ijs administrandis, superpelliceo, ac stola proprij eius diei coloris, ac si tegendũ caput sit, bireto. curent etiam, vt qui ea suscipiunt à mortali noxa sint immunes, & quam par est, exteriorem modestiam, ac decentiam præferant, armis præsertim pro eo tempore depositis.

CAP. II.

QVod ad animarum ædificationẽ maximè conducit, sedulo caueant hi ministri, ne vllam simoniæ, vel auaritiæ speciem leuissimamue suspitionẽ prębeant: gratis enim accepta, gratis sunt administranda. Sanè si quid spontè elemosi-

næ nomine offeratur, accipi quidem poterit, ne Christianæ pietatis significatio laudabili consuetudine inducta paullatim tollatur. In id autem quam diligenter inuigilẽt omnes Curati, ne morti proximis desint, ad eorum animas in tam periculoso conflictu Deo, Sanctisq; commendandas. sacramenta omnia opportunè exhibeant; ne si fortè quis (quod Deus auertat) ipsorum negligentia, sine Ecclesiæ Sacramentis è vita decedat, illius anima de ipsorum manibus requiratur, grauissimisq; pœnis pro culpæ grauitate plectantur.

CAP. III.

STudeant Parochi, vt certis, & distinctis libris notentur nomina, & cognomina eorum, qui baptizantur, vel confirmantur, suscipientium etiam à baptismate, ac parentum; tum eorum, qui matrimoniũ contrahunt, addito anno, die, &c. iuxta formam, [1] quæ habetur in nouo Rituali. Quod si Parochus ad aliam Ecclesiam transierit, libros prius successori tradat, secus graui pœnæ pro nostro arbitrio subiaceat.

1 *Conc. Trid. sess. 24. c. 2.*

CAP. IV.

QVoniam verò ob Curatorum, vel Custodum iniuriam libri, in quibus dicta nomina excipiũtur, mutili sæpe, ac corrosi, vel alio modo corrupti reperti sunt, nonnulli etiã omnino perijsse; districtè præcipimus, vt singulis annis nomina eorũ, qui intra illud anni spatium, baptismum, confirmationem, vel matrimonium suscepere, in alio libro decenti præter iam dictos registrentur: eumque teneantur Parochi, vel Cappellani quotannis ineunte mẽse Nouembri in nostra M. C. præsentare sub pœnis nobis benè visis.

CAP. V.

DEnique nemo in sacramentorum administratione ab Ecclesia Metropolitana dissideat; nec de forma aliquid immutet, addat, vel diminuat; nec in reliquis rebus, verbis, aut actionibus noui aliquid inducat, sed simplicem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ritum religiosè sequatur. quare in libro Rituale sanctissimi Domini nostri D. Pauli Quinti iussu edito, quam versati omnes esse debent.

DE BAPTISMO.
Titulus Septimus.

CAP. I.



Aptismus in Parochiali tantũ Ecclesia, vel vbi fons Baptismalis [1] asseruatur (nisi alibi ratione periculi ministrãdus quandoq; sit) sub pœna excõmunicationis latæ sententiæ conferatur. [2] Iis quoque, qui baptizandi sunt, vel quibus iam baptizatis Ecclesiasticæ solum cæremoniæ supplendæ, ad proprium Parochum, vel Hebdomadarium, excepta necessitatis caussa, deferantur: nec alius quiuis, maxime Regularis, nisi id ille Parochus necessaria omnino occupatione præditus, delegauerit, audeat huic se ministerio ingerere. secus ipso facto sit suspẽsus.

1 Cathec. Roman. par. 2. ca. 2. nu. 37.

2 Synod. Messan. eod. tit.

CAP. II.

Synod. Meß. hoc tit. 55. 2.

SI infans extra Ecclesiam ex necessitate baptizatus fuerit, statim cum per valetudinem licuerit, ad ecclesiam sacris cæremonijs imbuendus deferatur, in quo casu diligenter inquirat Parochus, quæ verborũ

forma

forma, quæ materia sit adhibita, vt cognoscat, num rite sit baptizatus, atq; si re bene perquisita, & cum peritioribus, si opus fuerit collata, dubius adhuc perseueret, an baptismus consistat, ea forma in baptizando vtatur: Si baptizatus es, non te baptizo, sed si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amē. Eamdemque formam seruet omninò, cum baptizandus offertur infans expositus. At vbi constat baptismum rite esse peractum, caueat, ne iterum, etiam sub hac forma baptizet. Cæterum in imponendis nominibus, ijs tantum vtantur, quę piorum, ac sanctorum hominum memoriam referāt, vt habeant ij cum adoleuerint præ oculis, recte ab ijs factorum exempla, & quibus se tamquam patronis in rebus omnibus commendent.

CAP. III.

OBstetrices officium suum ne præstent in Diœcesi nisi per Archipresbyterū; in Ciuitate, [1] nisi per Vicarium nostrum generalem scripto probatę sint idoneę ad baptismum cum opus fuerit, ministrandum, sub pœna fustigationis. [2] Porro hæc licentia detur

1 Synod. Diœces. Mess. eod. tit.

2. S. Carul. hoc eod. tit. ca. 22. & cap. 30.

detur gratis: & bis in anno decretum hoc Parochi inter missarum solemnia promulgent: doceantque publice omnes, baptizandi formam, vt necessitate adueniente, rite id peragere possint.

CAP. IV.

BAptizandum vnus, uel una, uel ad summum unus, & [1] una de fonte suscipiant iuxta Concilij Tridentini decretum. Sane ab hoc munere arceantur minores quatuordecim annis, ignorantes Angelicam Salutationem, Symbolum Apostolorum, Ecclesiæ, ac Decalogi præcepta. [2] Regulares item, atq; infantis parentes: Hæretici quoque, ac Iudæi, Infideles, nominatim excõmunicati, vel interdicti, publicæ meretrices, vel publica infamia notati, & qui eo anno peccata confessione non eluerunt, & Eucharistiam in Paschate non susceperunt.

1 C.T. sess. 24. de ref. matrim. c. 2. cap. complures de cons. dist. 4. cap. ne dũ de cognat. spirit. in 6. cap. vtrum ante eo cap. super eo eod. tit.

2 S. Carol. hoc tit. c. 2. cap. nõ licet de consecrat. dist. 4.

3 Cap. nõ licet cap. placuit 16 q. 2. Card. Tolet. lib. 2. c. 23. nu. 4. in fine.

CAP. V.

SAcramento Baptismi peracto Parochi susceptores admoneant officij sui esse, ut cum spirituales filios perpetuo commendatos habeant, [1] studiose curent, ut ij in Christianę uitę disciplina tales se exhibeãt, quales fore solemniter spopondere. doceãt etiam

1 C.T. sess. 24. de reform. matrim. cap. 2.

etiam eos de contracta sibi cum baptizato, eiusque parentibus agnatione spirituali, vt intra ipsos matrimonium contrahi non possit, ac si contrahatur, omnino dirimi. Matres etiam ac nutrices infantem, dum annũ adhuc non compleuit, noctu secum in lecto cubantem non habeant, ob periculum suffocationis.

CAP. VI.

INfideles adulti, qui sanctæ catholicæ Ecclesiæ aggregare se Deo vocante annuerint, non admittantur ad baptismum, nisi prius ea, quæ christianos scire, atq; operari oportebit, doceantur. Et quidem in Ciuitate non baptizentur, nisi obtenta à nobis, vel Vicario nostro generali licentia, in Diœcesi ab Archipresbytero, nisi vrgens necessitas aliud prudentis arbitrio postulet.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.
Titulus Octauus.

CAP. I.

VOlumus hoc Sacramento eos tantũ confirmari, qui saltem ad septimũ ætatis annum accesserit. Patrini

easdem habeant qualitates, quas pro baptizandis suscipiendis requirimus supra tit. VII. cap. 4. & 5. præterea ipso Chrismatis sacramento sint insigniti. sciantque eamdẽ hic contrahi agnationem spiritualem, quæ in baptismate contrahitur.

DE SACRAMENTO POENITENTIAE.
Titulus Nonus.

CAP. I.



Onfessores omnes muneris sui partes esse considerent omni officio, ac diligentia curare, vt peccatores à perniciosis peccatorum laqueis eruantur. contendant igitur id efficere tum adhortando, tum increpando. doceant pręsertim rationes, ac remedia, quibus animæ salutem consequi possint. Atque, vt nimia seueritas in pœnitentijs iniungendis facile pusillanimes à tam salutari Sacramento poterit absterrere; ita nimia aliquorum facilitas peccandi licentiam in plurimis sæpissime fouet. quare pro culpæ qualitate, ac pœnitentis dispositione congruas pœnitentias

irrogent: idque in primis meminerint huiusmodi pœnitentias imponi debere, non solum in vindictam præteritorum, sed etiã in futurorum criminum medicinam.

CAP. II.

SI forte deprehendant aliquibus ab alio confessario absolutionem fuisse denegatam, quod concubinarij, vsurarij, blasphemi, alijsue huiusmodi sceleribus irretiti sint, cautius in eorum conscientijs examinandis procedant, ne ijsdem temere, ac sine fructu absolutionem impendant. Cæterum in casibus difficilioribus, ne cursim, aut oscitanter rem expediant, sed si dubij fuerint, libros adeant, vel omissis nomine, cæterisq; circumstantijs, vnde nullo modo in pęnitentis cognitionem deferri possint, peritos consultent.

CAP. III.

NVllus Presbyter etiam Regularis laicorum, [1] vel clericorum, quamuis sacerdotum confessiones audiat, vel reconciliationis nomine, nisi is Parochus sit, vel à Nobis approbatus scriptam habeat facultatem, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ. Regularis verò nec ad examen

1 C.T. sess. 23 ca. 15. & sess. 25. de reg. c. 2

2 Synod. Messan. eod. tit.

admittatur, qui sui superioris testimoniũ de probatis moribus per litteras non attulerit.

C A P. I V.

MVlierum confessiones non nisi in Ecclesia [1] in loco conspicuo atque ad crates sedis confessionalis excipiantur, neq; ante solis ortum, vel post occasum, nisi ex rara, atque necessaria caussa. at in priuatis domibus nulli sacramentum hoc indulgeatur, quod si infirmæ valetudinis, vel alterius vrgentis necessitatis caussa, pręstandum sit, fiat patente cubiculi ostio. Fęminas quoq; confitentes non audiant, qui annum ætatis quadragesimum non attigerint. qui in horum aliquo deliquere, eo ipso sint suspensi ad nostrum beneplacitum.

1 S. Carol. de pęnit. c. 52.

2 Synod. Messan. huc tit.

C A P. V.

TEneantur Archipresbyteri intra mensem post huius Synodalis Constitutionis promulgationem, sedes confessionales in locis patentibus suarum Ecclesiarum constituere: in ijsque crates ex ferreis lamiminis affigere; idemque in alijs Ecclesijs, in quibus confessiones audiri solent, fieri curent. diligenter obseruent num confessarij mulierum confessiones extra dictas sedes,

vel non crates excipiant, eosque statim ad nos deferant, secus facientes, statim suspensioni subiaceant.

CAP. VI.

INitio quadragesimæ Parochi inter Missarum solemnia confessionis, & communionis annuæ præceptum serio, ac sæpe populo inculcent, simulq; censuras ex vi præsentis constitutionis fulminandas in contrauenientes, comminentur: doceantque quæ ad ea sacramenta accedentem scire, facereque oporteat. Moneant etiam assidua, vehementique cohortatione, ne confessionem vltra hebdomadæ sanctæ ferias protrahant, vt solemnes Dominicæ resurrectionis dies integra animi, corporisque exultatione celebrent. Iis quoque, qui per totum annum, vel multos menses conscientiæ maculas non abstersere, suadeant, ne statim post primam confessionem ad Eucharistiam accedant, sed [1] prius per aliquod temporis spatium confessoris arbitrio, animum iterum discutiant, ne ad Angelorum panem comedendum se ingerant, priusquam bene se probasse putauerint.

1. Nau. in ma. cap. 21. n. 57. Caet. rer. communio.

CAP.

CAP. VII.

QVod vere in alijs sacramentis administrandis de omni simoniæ, vel auaritiæ suspicione vitanda supra præcepimus, id in hoc maxime commendatum, præceptumque volumus: ita vt nullo pacto confessores aliquid petere, vel exigere audeant, directe, vel indirecte, ante, vel post audita peccata, sub pœna suspensionis, idque præcipue seruetur in vltimis infirmorũ dispositionibus.

CAP. VIII.

AD coercendam nimiam peccandi licentiam quatenus [1] nostra diligentia præstare id possumus, atrociora quædam crimina, quæ frequentiora esse possunt, absoluenda nobis reseruamus, ita vt si quis ab his sine nostra auctoritate absoluere ausus, extra mortis articulum, fuerit, excommunicationem, aliasque pœnas decreto sacræ congregationis statutas incurrat. Qui vero ijs se criminibus turpiter commaculauerint, vel nos, vel nostrum, quem substituimus Pœnitentiarium adeant, absolutionem impetraturi, quæ vero nobis reseruamus ea sunt.

[1] Sub die 9. Ianuarij 1601 de mãdato fel. record. Clem. 8 ponitur in sum. bullar. ver. Casus reseruat. glos. in cap. 2. in verbo reseruantur de pœnit. in 6. &c.

[1] Cõc. Tr. sess. 14. cap. 7.

blasphemia

Blasphemia in Deum, ac Beatam Virgi-

nem publica, vel ex praua etiam consuetudine.[1]

Superstitiones, & sortilegia, in quibus adhibentur res sacræ, vel Dœmones expresse inuocantur.[2]

Homicidium voluntarium, vel dantes ad illud auxilium, consilium, vel fauorẽ.

Abortum item procurantes sequuta morte fętus eiecti.[3]

Bestialitas.

Incestus in primo, & secundo gradu.[4]

Periurium in iudicio, etiam in fauorem, vel defensionem alterius.

Stuprantes virginem sub prætextu matrimonij.

Excommunicatio maior lata à nobis in constitutionibus synodalibus, vel ob contumaciam in iudicio,

CAP. IX.

IN Dominica, quæ est octaua Ressurrectionis Domini,[1] Parochi in suis Parochijs omnes moneant, vt qui iuxta Ecclesiæ præceptum intra præscriptos dies Eucharistiam non suscepere, intra alios octo dies illam suscipere teneantur, sub pęna excommunicationis. quod si intra dictum terminum

1 Glos. in c. 2. ver. reseruantur de pęnit. in 6. quæ de infra scriptis casib. loquitur.

2 Card. Tol. in sum. lib. 4. cap. 14. & cap. 16.

3 Tolet. lib. 5. c. 6. nu. 1. Silvest. ver. abort.

4 Tolet. loco citat. cap. 12.

1 C. omnis de pœnit. & remiss.

2 Synod. Messan. eod. tit.

minum

minum (quem pro primo, secundo, & tertio peremtorio assignamus) id præstare neglexerint: excommunicentur: quod si adhuc contumaces perstiterint, alia Dominica immediate sequente, nominatim publicentur, eorumque ad nos nomina, quo in eos seuere, vt par est, animaduertamus, transmittantur; at si pœnitentia ducti, deinde parere voluerint, & præceptum impleuerint, Parochi eos absoluant, nosque de tota re certiores faciant.

DE SANCTISSIMO EVCHARISTIAE Sacramento. Titulus Decimus.

CAP. I.



Vm Christiana pietas in tam venerabilis Sacramenti cultu, ac veneratione se maxime exhibeat, intelligant omnes præcipuum nostrum studium in eo versari, [1] vt illius cultus in dies magis augeatur, atque vt idem omnium sit desiderium, ac sollicitudo, quantum possumus, & omnes in domino enixe rogamus; vtque ab externo cultu ordiamur, præcipimus,

1 Cap. 1. cap. statuimus de custod. Euch.

vt tabernaculum in quo ſacra Euchariſtia conſeruatur, ſit bene clauſum, & quam decenter ornatum. interius panno ſerico veſtiatur, mundumque corporale ſubſtratum habeat, cui pixis argentea, & interius ſaltē deaurata ſuperponatur. curentq; Parochi, vt in ea quinque minimum particulæ aſſeruentur, quibus poſt ſingulas hebdomadas aſſumptis, alias recentiores conſecratas, ſubſtituant. ante tabernaculum vero lampas accenſa diu, noctuq; iugiter colluceat.

CAP. II.

Vas etiam, quo ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum ad infirmos defertur, ſaltem vrna ſit ex argento, & cooperta velo. quoties vero ad infirmos eſt eundum, conuocetur prius populus per Eccleſię campanam maiorem tum inter eundum, campanuza continue pulſetur, qua viciniores ad ſacramentum deducendum, vel adorandum moneantur. Deferatur autem cum decenti numero luminum, & ſub vmbella, & tam eundo, quam redeundo pſalmi deuote recitentur. Cæterum aduertat Parochus, vt tot particulas, in vaſe portatili reponat, vt infirmis communicatis aliqua remaneat,

1 *Cathec. Roman. nu. 46.*
1 *Cap. ſane de celebr. Miſſar.*

E quæ

quæ cum eodem apparatu ad Ecclesiam referri possit, quò cum peruentum fuerit, publicatis indulgentijs, quas comitantibus impertitur Ecclesia, omnes à Curato benedicantur.

CAP. III.

INfirmi domus tum sordibus, tum omni graui odore quantum fieri possit, sit expurgata. in cubiculo vbi infirmus iacet, paretur mensa cum cruce, candelis, & vase vitreo ad vsum ablutionis, quæ seruari etiam debet in administratione extremæ vnctionis. hæc si à domesticis infirmi præstari non possint, fiant à sodalibus societatis sanctissimi corporis Christi. vbi vero ea instituta adhuc non est, institui quamprimum in omni Ecclesia sacramentali exoptamus: idque Curatis omni studio commẽdamus, ac præcipimus. Sanè præcipuum illius munus sit, hęc parandi, atque Eucharistiam cum infirmi communicaturi sunt deducendi. interim dum hæc societas erecta non est, Curati hæc omnia præparent, ac exequantur.

CAP. IV.

CAutum summopere sit, ne sacra olea in tabernaculo sacrosanctæ Euchari-

stiæ

ſtiæ aſſeruentur, ſed in alio loco firmis ſeris occluſo. quod ſtatim Curati cum ad ſuas Eccleſias redierint, exequantur. Claues verò ſub quibus Euchariſtia, ac ſacra olea condita ſunt, nemini committantur, niſi Parocho, vel hebdomadario, vel ei qui actu vſurus illis eſt, dum ſacramentum eſt miniſtrandum. ſecus qui præter iam dictos, ijs clauibus vſus fuerit, ſubeat pœnam vnciarum quinque; qui verò claues commiſerit, etiam ſuſpenſionem ipſo facto incurrat.

CAP. V.

FEria quinta Cœna Domini diſtribuatur certus numerus confratrum ſocietatis corporis Chriſti, qui per ſingulas horas viciſsim ſanctum Domini ſepulchrum cuſtodiant, ibique orent ipſa feria quinta, vſque ad primam noctis horam, feria verò ſexta ab ortu Solis, vſque ad ſacramenti remotionem. reliqua ſeruentur iuxta ritus in Miſſali præſcriptos.

CAP. VI.

VT vero non ſolum priuatæ vniuſcuiuſque ſaluti, ſed etiam publico omnium bono pro noſtro paſtarali officio, conſula-

mus, volumus, vt semel in singulis annis, statuto tempore per tres, quatuorue continuos dies ad publicam quadraginta horarũ precationem Eucharistia in maiori Ecclesia exponatur quare cum primũ Archipresbyteri ad sua loca, Synodo peracta redierint, cum reliquo Clero, atque vniuersitate conuenientes, nostram hanc voluntatem ijs patefaciant; simulque conferant de tempore opportuno statuendo, vt vnanimi omnes consensu, in rem tam sanctam, ac salutarem, atque ad mores præcipue reformandos præsentissimam conspirent. Nuntient autem nobis Archipresbyteri, quid hac in re effecerint, quodue tempus statuerint, intra mensem, post dictum reditum, sub pœna vnciarum decem. Cæterum extra hoc tempus Eucharistia ad orationem quadraginta horarum non exponatur, nisi ex graui caussa, ac de nostra licentia sub eadem pœna.

CAP. VII

AC ne res tam sancta, atque ad omnem pietatem excitandam, tam efficax in perniciem, Dœmonis fraude, conuertatur animarum, cauendum primum omnino est, ne

ne oratio quadraginta horarum noctu quacumque ex caussa fiat, nisi ex nostra peculiari licentia dispensatum sit, sub pęna interdicti illius Ecclesiæ, in qua talis oratio fiet, atque excommunicationis in eos, qui orationis huius nocturnæ auctores fuerint, vel cum ad ipsos pertineret, non impedierint, atque hanc dispositionem locum habere, volumus, siue Ecclesiæ publicæ sint, siue priuata oratoria, vel sacella, exceptis ijs Ecclesijs, in quibus hæc oratio totius Ciuitatis nomine indicta est in nostra Vrbe tantum, item Ecclesijs Monialium, si ea oratio nocturna à solis ipsius Monialibus, & clausis iannis fiat, vt autem commode totũ tempus quadraginta horarum impleatur, poterit hæc oratio ad quatuor dies protrahi, ita vt intra solis ortum, & occasum oratio illius diei concludatur. Deinde vbi per commoditatem licebit, priusquam sacramentum exponatur, Missa celebretur, nec solum altare, vbi ipsum adoratur, sed tota etiam Ecclesia si fieri poterit decenter, ac religiose ornetur.

CAP. VIII.

SI dicta oratio fiat in Metropolitana Ecclesia, cærei duodecim congruæ magnitu

gnitudinis, in alijs Eccleſijs, non minus, quam ſex lampades item in Cathedrali, ſaltem ſex, in reliquis ſaltem tres perpetuo colluceant. Viri quantum commode, ac decenter poteſt fieri, diſtent ab altari, & ſeparatim à mulieribus orent. Duo, vel ſaltem vnus clericus ſacris initiatus ſuperpelliceo indutus ante altare ſemper aſſiſtat. denique inter orandum Archipresbyter, vel alius idoneus de ipſius conſenſu proponat ſingulis, vel alternis horis in cornu altaris breuiter, ac ſine pompa concionatoria aliquid ex paſſione Dominica, vel de præſtantia, atque vſurationis, aut ſacræ Euchariſtiæ meditandum.

CAP. IX.

Concubinarij, vſurarij, alijque peccatores, dum in publica peccandi conſuetudine verſantur, à ſacra communione arceantur. quod ſi peracta pęnitentia admiſſi in eadem ſcelera reciderint, diutius deinde probentur, maioraque pœnitentiæ indicia requirantur, nec ad ſacram ſynaxim admittantur, niſi ſchedulam à confeſſario attulerint de confeſſione, & abſolutione ab ipſo recepta.

CAP.

C A P. X.

DIe Cœnæ Domini ſacro ſacerdotes omnes, qui eo die non celebrauerint, clerici item omnes, noſtraque omnis familia in Miſſa ſolemni Euchariſtiam ſumere ne omittant. Curati etiam inter miſſarum ſolemnia ad frequentem Euchariſtiæ vſum vehementi, appoſitaque adhortatione populum incitent, illius fructibus, atque excellentia explicatis. In feſtis vero ſolemnioribus, cum frequentior eſt communicantium multitudo viri ſeorſum à fęminis duabus paratis menſis communicent. Omni denique diligentia caueatur, vt ſacramentum hoc miniſtretur non niſi in altari, in quo aſſeruari ſolet, niſi neceſſitas arbitrio Parochi aliud exigat.

DE EXTREMA VNCTIONE.
Titulus Vndecimus.

C A P. I.


Vm diuina id erga nos pręſtante pietate ſacramentum hoc inſtitutum ſit, [1] in remedium, non ſolum animæ, ſed etiam cor-

[1] Cathec. Roman. num. 46.

corporis curent Parochi infirmis in mortis periculo iam constitutis suadere, vt magno animo, tam salutare remedium exhiberi sibi flagitent, nec expectent donec vsu rationis, sensuq; priuentur. in eo vero ministrando, quauis diei, noctisue hora ij. ad quos spectat, paratos se semper exhibeant, secus grauiter punientur.

CAP. II.

QVoties sacrum oleum deferendum est, Parochus superpelliceo, & stola violacea indutus vno saltem [1] Clerico præeunte, & crucem sine hasta præferente, incedat; quod secum etiam deferre vnà cũ vase sacræ Eucharistiæ poterit, quoties infirmus est ita morti proximus, vt dubium sit, an post sumptam Eucharistiam, concedatur tempus ad Ecclesiam redeundi, atque eius afferendi.

S. Carol. Syno. diœces. 4. decr. 15.

DE SACRAMENTO ORDINIS.
Titulus Duodecimus.

CAP. I.

1 Conc. Trid. sess. 21. c. 2.

NEmo ad Subdiaconatus ordinẽ promoueatur, qui annuos redditus, vel

vel Ecclesiasticos, vel laicales ad summam aureorum triginta monetę huius Regni deductis oneribus, & expensis, non possideat. qua de re testes deponant cum iuramento in hac Vrbe coram nobis, vel nostro Vicario generali, vel alio à nobis deputato, in Diœcesi vero coram Archipresbytero; atque vt fraudibus, quæ committi hac in re solent, quantum in nobis est, occurramus, excommunicationis latæ sententiæ pœna præcipimus donatori dicti patrimonij, vt non præsumat [1] hanc assignationem facere super cēsibus, aut redditibus, qui alias assignati, vel speciali obligatione obligati fuerint, vel quorum ipse non est verus, ac legitimus dominus; atque id exprimatur in edicto, quod de promouendis promulgabitur. Volumus insuper, vt eiusmodi contractus coram nostro Vicario generali, vel alio, vt supra celebrentur. qui à duobus probatæ vitæ viris ijsque iuratis testimonium excipiant, bona promouendo iam assignata à donante, vel assignante in præsentia vere, pacifice, ac libere possideri, ita vt à nemine potiori iure repeti, aut euinciri vmquam possint, & ad summam prædictam

2 Synod. Messan. sub tit. de Patrim. Cler.

1 Summ. bull. ver. ordo.

aureorum triginta ascendere tantum prçter hæc esse assignati, quantum ad sui, suæque familiæ si quam habet, sustentationem satis esse possint.

CAP. II.

PRomouendus etiam iuret se fructus illos, seu bona numquam assignanti retrocessurum, aut quouis pacto alienaturũ, vel obligaturum, nisi caussa mortis, vel de nostra in scriptis licentia, [1] cum aliunde ex ecclesiasticis, vel alijs redditibus habuerit, vnde commode viuere possit, alias eo ipso suspensus censeatur. [2] Denique si in patrimonio constituendo fraus aliqua, vel fictio, vel illicita pactio admittatur. tum ipsi donatores, tum consentientes, aut consulentes sint ipso facto excommunicati; [3] promouendus vero sit etiam ab executione susceptorum ordinum suspensus, & ad alios suscipiendos omnino inhabilis; quas pœnas in iuramenti delatione, Vicarius noster generalis, ac Secretarius singulis notificent.

1 Summ. bull. loco citato. Nauar. cons. 17. de temp. ordin.

2 C.T. sess. 21. c.2. in fin. cap. neminem. cap. sanctor. 70. dist.

3 Summ. bull. loco citato. Nauar. in ma. cap. 27. n. 158. & cons. 21. 23. de temp. ordin.

CAP. III.

SAcris ordinibus initiandi per mensem ante ordinationem nos adeant, [1] vt litteras accipiant, quibus acceptis teneatur

1 Conc. Trid. sess. 23. c. 5.

Parochus, vel alius à nobis deputatus inter missarum solemnia, eorum desiderium ad ordines ascendendi populo patefacere. In quibus denunciationibus moneat, qui in patrimonio assignãdo fraudem aliquam immiscuerint, vel ad eam texendam auxilium, consilium, fauoremúe præstiterint, nec tales contractus resciderint nec nobis, aut à nobis deputatis rem aperuerint, antequam donatarij promoti fuerint, eos omnes fore ipso facto excommunicatos. Tamdem his rite actis, de ipsorum natalibus, ætate, moribus, frequentia sacramentorum, seruitio ecclesiæ prȩstito, alijsque omnibus integre, ac fideliter iuxta præscriptas in litteris instructiones, Parochus certiores nos reddat.

CAP. IV.

EXaminatores, qui tres saltem deputabuntur, [1] præsertim pro ijs, qui sunt ordinibus initiandi rem de aliquo approbãdo, vel reprobando mature, atque humanis affectibus omnino reiectis deliberent, ne vel ineptum admittant, vel idoneum reijciant. Pro singulis vero ordinibus cum scientiæ gradum omnino exigãt, quem Tridẽtinum constituit. In examinando verò faciles

[1] *Conc. Trid. sess. 23. cap. 7.*

ciles se, ac benignos præseferant. Porro in examinandis Curatis, concionatoribus, & confessarijs, eadem ratio seruetur. Deniq; examen hoc statuta oratione inchoetur, ac terminetur.

CAP. V.

ORdinati ad primam tonsuram propriæ parochiali ecclesiæ adscribantur, in qua, diebus dominicis, [1] ac festis inseruiāt, qua in re Parochis omnino obediāt, sub pœna in eos, qui in sacris versantur pro qualibet vice ad arbitrium nostrum imponenda, in alios priuationis priuilegij fori, nec se alios ordines promotum iri sperent, nisi à Parocho bonum prædicti seruitij testimonium habuerint.

1 C.T. sess. 23 cap. 16.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

Titulus Decimus tertius.

CAP. I.



PArochi in eo diligenter vigilent, vt matrimonij sacramentum sanctè, atque, vt Christianos decet contrahatur. proinde contracturos hortentur,

tur, vt ad illud celebrandum peccatorum, confessione, ac communione se præparent, ne turpiter in mortali illud ineant. Grauiter etiam ac serio eos moneant, ne matrimonium consumare præsumant, ante sacramẽti celebrationem. [1] Cui rei, vt efficacius consulamus; præcipimus in virtute sanctæ obedientię, ne sponsi antequam matrimonium per verba de præsenti, in ecclesia celebratum fuerit, simul cohabitent, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, & præterea vnciarum octo pijs operibus applicandarum.

1 C.T. sess. 24 c. de ref. matr.

CAP. II.

IN denunciandis, ac celebrandis nuptijs omnino exacte, & adamussim seruentur, quæ in rituali Romano præcipiuntur, & trinæ denunciationes fiant, nisi de nostra, vel nostri Vicarij Generalis sigillatim in scriptis licentia, dispensatum fuerit. Præterea à die, quo ceptæ sunt denunciationes fieri, donec omnes expletæ fuerint, nomina contrahere volentium, in tabella conscripta; ianuæ Parochialis ecclesiæ affigantur, quo res ad omnium notitiam perueniat, atque impedimentum, si quod est, facilius cognoscatur

ſcatur. Doceat etiam Parochus populum, quod ſi quis falſum aliquod impedimētum malitioſe, vt alioque legitimum matrimonium impediat, obiecerit; præter alias iuris pœnas, excommunicationis etiam gladio feritur.

ACP. III.

CVm matrimonium celebrandum eſt; obtenta à nobis, vel noſtri Vicarij generalis in ſcriptis licentia, adſit proprius Parochus, vel alius Sacerdos ab ipſo deſignatus, & duo præterea vel tres teſtes, [1] neque eos coniungat, aut benedicat niſi mane orto iam ſole, & ante Altare maximum, neque alibi, quam in Parochiali Eccleſia eius loci, quem ſponſus, vel ſponſa inhabitat; quod ſi iuſtis de cauſis fuerit à nobis impetratum, vt in alia Eccleſia matrimonij celebratio fiat, nulla prorſus ratione, monialium Eccleſiam intelligi volumus; quamuis de nomine proprio in impetrationis litteris expreſſam, ac notatam, niſi illa luculenter addantur. Nõ obſtante quod ſit Eccleſia monialium, ſecus talis licentia nulla, ac ſurreptitia habeatur, ſi autem ſponſos domi matrimonio conſociari conceſſum fuerit à nobis, id quam honeſtiori

1 *Conc. Trid. loco citato.*

matr. in paroc. ali ecc. an altar. maxim.

nestiori loco, & coram sacra imagine agatur, benedictionẽ autem in Ecclesia omnino suscipiant.

C A P. IV.

IGnorantes orationem Dominicam, salutationem Angelicam, ac fidei misteria Decalogique præcepta, nullo modo nisi prius ea didicerint, ad Sacramentum Matrimonij admittantur,[1] Item nec vagi, ac certa sede carentes, sine nostra inscriptis licentia, quæ non dabitur, nisi eos solutos, & à Catholica fide non alienos esse, constiterit. Viduis plane item si eorum coniuges in remotis regionibus obijsse sit fama, non concedatur transitus ad secundas nuptias,[2] donec de prioris coniugis obitu nobis certò constet, ac nostra ad id licentia concedatur.

1 Cõc. Tr. ses. 24. de refor. matr. c. 7.

2 Cap. si quis renunciate 34 q. vltim.

C A P. V.

SI Parocho denũciatum sit impedimẽtum;[1] is ne vlterius progrediatur, ne ad alias quidem denunciationes, etiam si falsum illud sibi, ac malitiosè obiectum videatur, sed re tota ad nos delata, expectet, quid statuendum sit. Quod si contra prædicta in aliquo se ingerat; pœnam suspensionis incurret.

1 Cap. cum inhibit o §. de cland. desponsf.

CAP.

CAP. VI.

STudiose curent tum Parochi, tum reliqui confessarij, errorem illum à populorum mentibus euellere, putantium, si eorum mancipia, aut vernæ cum conseruis, aut cũ alienis matrimonium ineant, [1] se statim illorum Dominio priuari, ex quo fit vt hi misere pluribus fornicationibus, ac turpium cœno scelerum, dominorum culpa, atque errore volutentur.

1 *Synod. Messan. sub. tit. de coniug. seruor.*

CAP. VII.


Veneficia fascinationes Incan. maleficia

DEnique vt multis, qui hominum vitio in nuptijs celebrandis, quantum in nobis est occurramus, omnes adhibentes veneficia, fascinationes, incantationes, ac alia huiusmodi maleficia, ad nuptias procurandas, vel impediendas excommunicationem latè sententiæ incurrere decernimus. qua pœna etiam ferientur adhibentes aliquid superstitiosum ad veneficia illa soluenda, vel qui ad id consilium, auxiliumue præbuerint.

DE

DE FESTORVM OBSERVATIONE, *Titulus Decimus quartus.*

C A P. I.


Atalogum festorum dierum palam in Ecclesia propositum habeant Curati, diebus vero dominicis, inter missarum solemnia dies festos, [1] qui ex præcepto seruandi sunt, vigilias, ac ieiunia quatuor temporum, quæ sequenti hebdomada occurrunt, enuncient, doceantq;, [2] festum inchoari à media nocte diei præcedentis, & ad mediam noctem insequentis diei claudi. moneant etiam eos, qui ad animalium, vel agrorum custodias famulis vtuntur, vt omni cura satagant, ac modum inueniant, quo illi festis diebus, ac dominicis missa nè careant. Denique hortentur omnes, vt suas Parochias frequentent, præcipue diebus, quibus festa, denunciationes matrimoniorum, excommunicationes, aliaque id genus pronunciantur, hæc enim non sine scandalo omittuntur.

1 C. 1. de cons. dist. 1.

2 l. more Romano, ff. de ferijs. Card. Tolet. in sum. lib. 6. c. 7. Conc. Trid. sess. 22. in decreto obseru. missa.

CAP. II.

PEculiari verò sollicitudine in id incumbant tum Curati, tum etiam Concionatores, ac Confessarij, vt perniciosus ille abusus omnino tollatur, ne qui, mulieres præsertim si consanguineis, vel alijs quos amauerint eos per obitum orbari contigerit, domi ad plures menses se contineant, seque luctibus, ac eiulatibus totas dedant, in hoc enim non solum corpus, sed etiam animam misere macerant, se se sacramentis, concionibus, missis, diuinis officijs alijsque spiritualibus adiumentis crudeli impietate interdicentes. moneantque omnes, vt quod fideles decet, etiam intra triduum, post consaguinei, vel alterius mortem, missis intersint, aliorumque sacramentorum, ac diuinorum officiorum abstergere queant, quæ dolorem omnē spirituali voluptati fruātur.

CAP. III.

OMnibus, & singulis notarijs, artificibus, & cuiuslibet generis artis, officij, exercitij, negotiatoribus, ac mercatoribus, præcipimus, vt banchas, apotecas, 1 & officinas diebus festis, occlusas habeāt, neque merces exponant vllas sub pœna vnciarum

1 Synod. Messan. sub. tit. de fest. & vig. per Parocb. denunciand.

~~ciarum~~ septem, nisi tantum forium aperiri necesse esset, quantum esset ad vsus domesticos satis, quod ipsum sine scandalo faciendum est.

CAP. IV.

QVoniam vero fere in vna quaque diœcesi institutum est, sancte certe, & laudabiliter, vt sanctis, qui singulari excellētia sanctitatis erga humanum genus, & beneficiorum pondere satis apud nos meritorum habent, festi dies peculiari pietati, ac ritui dicarentur. præterea omnium nos, ac singularum nostræ diœcesis vniuersitatū, considerātes eximiam, in sanctissimum Dei matris sponsum religionem, earumdemque intentis precibus inclinati, totam nostram diœcesim sub sancti Ioseph peculiari patrocinio constituimus, eiusque diem festum, instar eorum, qui ex communi ecclesiæ præcepto seruantur, seruandum præcipimus, quo singulari hac in ipsum pietatis significatione exhibita, confidentius ad ipsius auxilium implorandum in nostris calamitatibus confugiamus. Iisdem etiam moti rationum momentis, dies sanctæ Annæ, ac sanctæ Mariæ Magdalenæ, eodem ritu festos facimus,

omne opus seruile prohibentes, atque, vt omnes festi dies debito cultu rite celebrentur, eorum catalogum subscribimus.

IANVARIVS.

1 Circumcisio Domini.
6 Epiphania Domini.

FEBRVARIVS.

1 Purificatio Beatæ Mariæ Virginis.
24 Sanctus Matthia Apostolus.

MARTIVS.

19 Sanctus Ioseph.
25 Annunciatio Beatæ Mariæ Virginis.

APRILIS.

25 Sanctus Marcus Euangelista.

MAIVS.

1 SS. Philippi, & Iacobi Apostolorum.
3 Inuentio Sanctæ Crucis.

IVNIVS.

3 Festiuitas litteræ B. Mariæ Virginis, in Ciuitate tantum.
24 Natiuitas S. Ioannis Baptistæ.
29 SS. Petri, & Pauli Apostolorum.

IVLIVS.

22 Sancta Maria Magdalena.
25 Sanctus Iacobus Apostolus.
26 Sancta Anna Mater B. Mariæ Virginis.

AV-

AVGVSTVS.

4 Inuentio SS. Placidi, & sociorum martyrum.
6 Transfiguratio Domini.
10 Sanctus Laurentius mart.
15 Assumptio Beatæ Mariæ Virginis.
24 Sanctus Bartholomæus Apostolus.

SEPTEMBER.

8 Natiuitas Beatæ Mariæ Virginis.
21 Sanctus Matthæus Apostolus.
29 Sanctus Michael Archangelus.

OCTOBER.

5 SS. Placidi, & sociorum martyrum.
28 SS. Simonis, & Iudæ Apostolorum.

NOVEMBER.

1 Commemoratio omnium Sanctorum.
2 Commemoratio defunctorum per loca habitata tempore celebrationis missarum.
30 Sanctus Andreas Apostolus.

DECEMBER.

8 Conceptio Beatæ Mariæ Virginis.
21 Sanctus Thomas Apostolus.
25 Natiuitas Domini, cum tribus diebus sequentibus.
31 Sanctus Siluester Papa.

FESTA MOBILIA.

Pascha Resurrectionis Domini, cum duobus diebus sequentibus.

Ascensio Domini.

Pentecoste cum duobus diebus sequentib.

Festum sanctissimi Corporis Domini.

Omnes dies Dominici.

Sancti Patroni, & defensores Ciuitatum, Terrarum, & Rurium in proprijs eorum locis per antiquam consuetudinem obseruati.

DE IEIVNII OBSERVATIONE.

Titulus Decimus Quinius.

CAP. I.



Eiunium sancte ab ecclesia prçceptum omnino obseruetur, vt omnes non modo corpore à cibis, sed etiam mente à vitijs abstineant. [1] igitur nemo, nisi infirmæ valetudinis caussa de medici, atque confessarij consilio, infringere illud audeat. Ieiunia vero obseruanda hæc numerantur. Omnes dies quadragesimæ (exceptis dominicis) quatuor anni tempora, vigiliç Pentecostes

1 *Cap. sexto 35. dist. Cap. ieiunia de consil. dist. 1. C. quadragesi. C. ieiunium. de de cōsur. dist. 5*


costes, Natalis Domini, Assumptionis Beatę Virginis, Sanctorum Apostolorum (pręter Ioannis, ac Philippi, ac Iacobi) omniũ Sanctorum, Natiuitatis sancti Ioãnis Baptistæ, Laurentij martyris; quod si has festiuitates feria secunda celebrari contigerit, ex [2] Innocentij Tertij constitutione in præcedenti sabbato pro eorum vigilia ieiunandum est.

[2] Cap. 1. de obser. ieiun.

DE CELEBRATIONE MISSARVM.

Titulus Decimus Sextus.

CAP. I.



Sanctissimum Missæ sacrificiũ singulari, qua decet pietate, ac religione celebretur ad illud igitur faciendum non accedat Sacerdos, nisi omnibus rite paratis, & cæremoniarũ in Missali traditarum peritus, nihil his addens, nihil detrahens, nihil immutans.

CAP. II.

QVæ inter celebrandum, elata voce pronuncianda sunt, distincte, ac moderate efferat. ad altare nequaquã pileatus

1 Siluest. verb. missa 6. Nauar. man. c.25.nu.83.

pileatus,[1] sed cum quadrato bireto accedat, ea, quæ par est modestia, & grauitate, tum in incessu, tum in alio quouis gestu, & clericus vbi commode fieri poterit in superpelliceo mundo, integro, aut non indecore lacero, præibit: neminem ad altare expectet paramentis indutus, sed statim missam inchoet, nec inchoata de integro resumat; nec horam statutam cuiuslibet personæ gratia in parochiali ecclesia differat, vel anteuertat, neque vllibi ante auroram, vel post meridiem, nisi in casibus à iure permissis, celebret, sub pœna suspensionis.

CAP. III

CAlices, corporalia, ac purificatoria sint semper munda, si qui enim in aliquo ex his notabiliter immundo celebrauerint, præter quod grauiter peccãt, graui etiam pęna arbitrio nostro punientur. quare præcipimus, vt quilibet Parochus terna corporalia, simplex sacerdos bina, omnes autem sena pro extergendo calice purificatoria parata habeant.

CAP. IV.

PVblice, ac notorie criminosi, ne celebrent, donec malam in bonam famam

vitę emendatione mutauerint. nullus alienę diœcesis sacerdos ad celebrandum admittatur, sine nostra, ac proprij ordinarij in scriptis licentia, [1] hec nouam missam quis faciat, nisi prius de nostro mandato examinatus, & approbatus, scriptam facultatem obtinuerit, saltationes in hac celebritate, conuiuia, aut eleemosynarum publicas exactiones, nullo modo sub vmbella recipiatur, [2] in ecclesia, aut oppido per se, per aliosue, nullus agat, aut ecclesiam, vel priuatas domos, sacris vestibus indutus, vagetur. non autem prohibemus, vt post offertorium in imo altaris gradu sistens, quod sponte offertur accipiat, & manipulum, aut sanctas Imagines, porrigat deosculandas, dummodo nē patenæ sint, aut sacræ reliquiæ, quod sub pœna suspensionis; & alijs nostro arbitrio infligendis, cauendum est. [3]

1 Conc. T. sess. 22. decr. de obser. in celebr. miss.

2 Concil. Trid. loco citato, cir. medium.

nullo modo vmbella recipiatur

3 Conc. T. loco citato. §. cum igitur multa.

CAP. V.

CVm plures missæ in eadem ecclesia eodem sunt tempore celebrādę aduertatur diligenter, ne vel per immoderatam vocis elationem, [1] vel ob altarium propinquitatem, vnus sacerdos alterum impediat. Dominicis, atque alijs festiuis diebus, qui

1 S. Carol. hoc eod. tit. c. 8. & cap. 44.

sub præcepto seruantur, nec non dupplicibus nemo missam celebret, nisi de tempore, & ijs diebus in parochiali ecclesia, missa decantetur, assistentibus illic clericis à nobis assignatis. Cum autem in missa conuentuali, vel ipsius parochi, si ipse solus celebrauerit, eleuantur hostia, & calix, detur signũ maiore campana, quo vniuersim populus moneatur ad sanctissimum Sacramentum venerandum, idemque fiat in missis priuatis campana paruula. In omnibus autem dominicis, ac festis diebus, ac sæpius in hebdomada missam facere Curati non omittãt iuxta Concilij Tridentini præscriptum.

CAP. VI.

IN Ecclesijs ruralibus, & campestris, quę, vel coopertæ commode non sint, vel nec valuas, aut seras, quibus claudi possint, nec altaria decenter ornata, cæteraque requisita habeant, sacra peragi prohibemus, sub pœna suspensionis à diuinis, tum in eos, qui celebrauerint, tum in rectores, qui id permiserint. Item præceptum est, in priuatorum ædibus celebretur sub pœna ad nostrum arbitrium, nisi in Oratorijs per nos recognitis, & approbatis, ac de licentia san-

ctæ Sedis Apostolicę. Altaria quoque portatilia ex vna in aliam ecclesiam, sine nostra licentia, non transferantur sub eadem pęna.

CAP. VII.

QVi ad missas in nostra Metropolitana, siue alijs nostræ Vrbis, ac diœcesis ecclesijs pro benefactoribus celebrandas statutis celebret diebus. conscribatur in vnaquaque ecclesia tabella, in qua numerus missarum, & quo die celebrandæ sunt censeatur, atque in sacristia liber asseruetur, in quo sacerdotes, qualibet die missas; quas faciunt cum oneris assignatione, Parocho, vel sacrista præsente annotent.

DE HORIS CANONICIS.
Titulus Decimus Septimus.

CAP. I.



Iuinæ laudes cum ea, quæ par est, reuerentia, ac silentio in choro recitentur, nec diuina officia, aut ex toto, aut ex parte, vbi talis est obligatio, omittantur, quod si eodem die Canonici, aut alij, qui choro interesse solent,

 alteri

1 alteri eccleſiæ inſeruire debeant; vel tempus vtrique officio tribuant, vt in matrice Eccleſia recitatio non omittatur, vel pars eorum in vna, pars in altera eccleſia inſeruiat, prout dignior eiuſdem eccleſiæ arbitrabitur. cuius etiam erit ſilentium in choro indicere, & exequutionem pœna arbitraria pro merito culpæ vrgere.

1 Clem. 1. de celebr. miſſar. c. dolentes eod. tit. Nauar. de horis can. ca. 17. nu. 43.

CAP. II.

Qvilibet clericus choro interſit cum habitu, talari, tonſura, ſuperpelliceo, ac bireto clericali, ibique non priuatim officium recitet, nec colloquatur, [1] nec de vna in aliam ſedem vaget, niſi pro chori neceſſitate ad id iuſſus fuerit, ab eo, ad quem ſpectat id, aliaque ad diuini officij recitationem pertinentia iubere, ſedeat, genufleɛtat, aliaque ſedulo exequatur, quæ à cæremoniarum magiſtro, vel chori dignitate, iuxta eccleſiaſticum ritum præſcribuntur. Chirotecas, aut ſoccos ne præſtet, ſub pœna arbitrio noſtro reſeruata. nemo ſuperpelliceum in choro induat, vel eos ſe expoliet, ſed hæc omnia fiant in ſacriſtia ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrenda; nec liceat laicis, dum diuina celebrantur, in

1 Synod. Meſſan. hoc eod.

choro

choro aſtare, vel ſedere, ſub pœna excommunicationis.

C A P. III.

OMnes per ſe, & non per ſubſtitutos diuina officia perſoluant: portiones vero eorum, qui deſunt in eos, qui præſentes fuerint diſtribuantur, niſi ex proprijs noſtris pecunijs perſoluantur, iuxta litteras ſacræ congregationis. liceat autem Canonicis deputare punctatorem, qui ſimul cum altero à nobis deputato, punctandi officium exerceat, præſtito prius in manibus noſtris iuramento, de bene, ac fideliter hoc munere miniſtrando.

C A P. IV.

SExta quaque feria, qui dies domini noſtri Ieſu Chriſti paſſioni, ac morti ſacer eſt, hora circiter poſt meridiem, ter icti bus campana pulſetur, vt excitata in fideliũ animis tanti beneficij memoria recitẽt quinquies orationem dominicam, & ſalutationem Angelicã, memores ea ipſa hora Chriſtum dominum pro nobis cruci affixum, Deo ſpiritum commendaſſe, vitamque nobis morte ſua tradidiſſe. quibus omnibus, qui hæc fecerint quadraginta dierum indul

gentiam benigniter impertimur.

C A P. V.

QVod felix recordatio Gregorij xiij. in alma Vrbe [1] constituit, id ipsi in qualibet ecclesia curata nostræ Vrbis, atque diœcesis omnino statuimus, vt scilicet prima noctis hora detur signum cãpanæ, quo omnes moneantur orare pro fidelibus defunctis cum psalmo De profundis, vel alijs precibus: vnde tum animabus, quæ igne Purgatorio cruciantur, suffragentur, tum ipsi memoria mortis à peccandi procliuitate auocentur, idque sæpius curati populo inter missarum solẽnia inculcent.

[1] *Litteræ datæ sub die 10. April. 1580.*

curati

DE RELIQVIIS ET VENERATIONE Sanctorum. Titulus Decimus octauus.

C A P. I.



Eliquiæ Sanctorum certæ, & approbatæ honestis in locis extra sacræ Eucharistię tabernaculum, clauibus, ac seris bene firmis condantur, nec de vno in alium locum extra propriam ecclesiam sine nostra licentia transferantur, nec

donen

donentur, nec vllo modo venalia habeantur. 1 Cum populo colendæ proferuntur, id fiat à sacerdote cum superpelliceo, stola, ac luminaribus accensis, eorum oratione Sanctorum recitata. à laicis ne illis osculandæ vlla ratione extra thecas, præbeantur; earum omnium inuentarium ad Archiuium nostrum ab Ecclesiarum procuratoribus, vel rectoribus infra duos menses transmittatur sub pœna à nobis pro libito imponenda. Nouæ reliquiæ, vel noua miracula nisi scripto probata à nobis, vel nostris prædecessoribus nulla vulgentur.

1 Tot. tit. de reliqui. & ven. Sanct. Conc. Lateran. sub Inn. 3. c. 6. & Conc. Trid. eod. tit. sess. 25.

CAP. II.

Caueant sculptores, & reliqui huiusmodi artifices eas imagines, statuas, aut signa quoquo modo conficere ex quorũ aspectu, vel honestas, vel pietas lædi possit. quare præsenti decreto præcipimus, ne in consultis nobis, nouæ aliæ inferantur; immo, vt veteres recognoscantur, sique in ijs aliquid minus decorum, vel contra patrum traditiones offensũ fuerit, corrigãtur. quod vt facilius exequutioni mandetur, hæc recognitio fiat coram Archipresbytero, ac Vicario foraneo, alioque Theologo cuiusquiq;

quiq; loci, qui de rebus, quas correctione dignas inuenerint, nisi nos certiores fecerint grauiter punientur.

DE PROCESSIONIBVS.

Titulus Decimus nonus.

CAP. I.

PRocessiones, quæ ad diuinam Maiestatem nobis concilianda sanctæ institutæ sunt, [1] omni pietatis studio, modestia, ac grauitate celebrentur. omniaq; in his fiant iuxta ritualis Romani præscriptum. Confratres, qui sacco induti sunt, incedant operto visu sub pœna vnciarum sex, ijs exceptis, qui statuam aliquam gestantes, nimio pondere fatigantur. Non liceat Regularibus extra sua claustra processiones facere, sub pœna interdicti.

1 Antiquissimum institutũ in Eccl. Dei. S. Dionis. Areop. decc. Hier. cap. 4. Cõc. Laodicẽs. cap. 43.

Regularibus non licet proc. ex. sua cla.

CAP. II.

PVblicæ supplicationes, in quibus litaniæ ex generali instituto ecclesię decantantur, [1] à nostra Metropolitana in Vrbe, semper incipiant, & ad eandem redeant. Vbicumque clerici interueniunt, ij cum habitu

1 Synod. Messan. hoc tit.

bitu

bitu talari, superpelliceo, tonsura, ac bireto clericali induti, in ecclesia hora debita se præsentent: [2] in processione vero ordine omnes procedant, neque in via ab alijs discedant, sed omnes simul ad nostram Metropolitanam processionaliter reuertantur. Crucis vexillum non nisi per clericos in dictis processionibus clericali veste, ac superpelliceo contectos, deferatur, sub pœnis arbitrio nostro. Quidquid de Metropolitana dispositum est, idem in alijs oppidis circa matricem, seu principalem ecclesiam, seruetur. si quis, siue clericus, siue laicus processiones interturbare, vel aliquo modo impedire audeat, excommunicetur.

2 Sarnen. de visitat. lib. 1. cap. 20. nu. 39

CAP. III.

Regulares iuxta ordinum præcedentiã debito cuique loco collocentur, & incedant, qui vero ordinẽ perturbauerint, vel scandalum in actione tam pia, ac publica dederint; [1] sub pœna interdicti è processionibus eijciantur. progrediantur omnes litanias, vel alios himnos, aut psalmos canentes. [2] præter generales consuetas processiones nullæ, tam hic Messanæ, quam in tota diæcesi, fiant sine nostra speciali licentia.

1 Conc. Trid. sess. 24. de regul. cap. 13.

2 Synod. Messan. sub tit. de non faciendis procession.

C A P. I V.

IN processione sanctissimi Corporis domini nostri Iesu Christi, nullæ dum procedit supplicatio, fiant representationes,[1] nec ludi ignei, vel sclopi, aut fulgura, seu mortariola explodantur, quibus etiam omnis ordo perturbatur, & plurima creantur pericula; secus auctores pœna carceris puniantur,

1 Ead. Synod. Messa. sub tit. de anniuers. sanctissimi corporis Christi.

DE EXEQVIIS, ET SEPVLTVRIS.

Titulus Vigesimus.

C A P. I.



PArochi cum primum illis de alicuius parochiani morte significatum fuerit, id populis campanæ signo significent, vt ad orandum pro defuncti anima prouocentur.[1] quod si mors contigerit post primam noctis horam, campanæ signum ad mane sequentis diei differatur. Cadauera non nisi transactis duodecim saltem horis post eorum obitum, sepulturæ tradantur.[2] quod si mors fuerit repentina, & corpora satis valida viginti quatuor horis

1 Machab. lib. 2. cap. 12. S. Ambros. lib. de tobia ca. 1.

2 S. Carol. hoc tit. cap. 15.

ris inhumata ſeruentur, niſi æſtiuo tempore, nobis in Vrbe, vel Archipresbyteris in diœceſi aliud viſum fuerit. Ante ſolis ortũ, vel poſt eius occaſum neminem, ſine noſtra licentia in ſcriptis, ſepeliant.

CAP. II.

CLerici cum ſuperpellíceo, ac bireto quadro ab eccleſia Parochiali defuncti, cruce precedente, bini eo, vbi funus eſt incedant, & illud piè, ac deuote pſallentes ducant, in eccleſia deinde tandiu conſiſtãt, donec ex ritu ſanctæ Romanę eccleſiæ, omnia fuerint abſoluta, ſub pœna eleemoſinæ illius funeris amittendæ, & alijs à nobis reſeruatis.

CAP. III.

NOua ſepulchra ædificare nemini, ſine noſtra licentia liceat, omnia vero ita apte, atque compoſite ſint obducta, vt nullus inde teter odor exhalare poſſit. [1] ſepulchra ſi quæ ſub altari ſunt, oſſibus in propinquum locum translatis, terra oppleantur, & obturentur, nec in futurum fiant, niſi quatuor ad minus palmos procul ab altari diſtent.

[1] S.Carol. hoc tit. cap. 16.

CAP. IV.

CEmiteria muro, vel aliter tuso vndique sæpiatur, ne bestijs aditus pateat. nullæ in his arbores, vites, vel alia huius generis appareant, nec stabula cuiquis generis animalium prope ea construi permittatur, aliudue, quod loci illius religioni, ac sanctitati deroget. Deniq; in eorum medio crux e ligno, vel lapide statuatur.

CAP. V.

QVotannis pro Archiepiscopo Messanensi vltimo loco defuncto anniuersarium diei illius depositionis à Capitulo,[1] & Clero celebretur, tum in Vrbe, tum etiam in diœcesi. Item quotannis die ~~trigesimo~~ tertio mensis Nouembris fiat anniuersarium pro omnibus Archiepiscopis Messanensibus in hac Metropolitana ecclesia, in tota vero diœcesi quarta die eiusdem mẽsis, pro[2] animabus defunctorum sacerdotum, presbyteri omnes singulis annis idem anniuersarium celebrare teneantur, quo die libuerit.

1 Cõc. Nicen. cap. 65.

CAP. VI.

VT immoderatis lacrimis, & eiulatibus eorum, qui suorum obitus ita deplorant

rant, vt cæteri, qui ſpem non habent, remedium aliquod, ac moderationem pro officio noſtro præſtemus; præcipimus, vt lamentatrices, ſeu preficæ ad luctus non aduocentur: quod ſi ipſæ ſe ingerant, vel aduocatæ acceſſerint, ac lugubri cantu alijs præierint; publica fuſtigationis pœna punientur. quare præcipimus omnibus Curatis, vt præſentem conſtitutionem populis explicent, ſeduloque luctuoſos moneant, & ab indiſcretis vocibus, lacrymis, crinium dilacerationibus, pectorum tunſionibus, alijſue huius generis omnino abſterreant, nec vt vltra triduum domi ſe contineant; [1] ne, & iram permittant Dei ſuper ſe prouocetur & defunctorum animis pijs ſuffragijs priuent.

1 Clem. 1. de ſepult. cap. ſunt 24. q. 2.

AB ECCLESIASTICA SEPVLTVRA *Arcendi ſunt.*

2 Publice excommunicati, & denunciati.

3 Notorij Clericorum percuſſores, & enim nulla facta declaratione, vel denunciatione.

4 Qui dum viuerent abſoluti non ſunt ab inter-

2 Extrau. Ma. V. incipit cum euitanda.

3 c. is, qui de ſent. excom. in 6. Nauar. in c. 23. de pœnit.

4 c. 1. extra de torneam.

interdicto ab ingressu Ecclesiæ.

Mortui in duello.

5 c. quia de vsur.

5 Vsurarij manifesti, nisi alienum restituerint, vel idoneam cautionem ad id dederint, de qua legitime constet.

6 Clem. 1. de sepult.

6 Infantes, vel adulti, qui sine baptismo decesserint, fœtus tamen in vtero matris mortuus, si cum ipso mater commoriatur, tamquam pars viscerum ipsius, cum matre sepeliatur.

7 c. non estimemus. c. pro abeuntibus 13. q. 2.

7 Qui in peccato publico ex hac vita migrauerit nullo dato contritionis signo.

8 c. in quibus 13. q. 2. c. placuit. 23. q. 5. c. ex parte de sepul.

8 Qui se ipsum industria occiderit, nisi vi morbi, aut furoris, vel insaniæ id fecerit. cuius rei iudicium in Vrbe nobis, in Diœcesi Archipresbytero reseruamus.

9 c. omnis, de pœnit.

9 Qui eo anno pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramentum non susceperint, aut in obitu id non fecerint.

10 Abb. c. sacris. num. 3. de sepul. pœna excom. Clem. 1. de sepult. siluester. excom. 9. num. 66. c. sacrum eod. tit. cap. consuluisti de consecr. ecc. vel altar.


10 Horum vero corpora, qui Ecclesiæ sepultura carere debent, ita longe ab Ecclesia emandentur, vnde Clericorum canentium voces inde non valeant audiri. qui vero aliter fecerit pœnis à Sacris Canonibus indictis, & alijs grauioribus arbitrio nostro plectetur. tum si corpora di-

scerni

ſcerni poterunt exhumanda ſunt, & eccleſia, vel cemiterium reconciliandum.

DE SACROSANCTIS ECCLESIIS,
Earumque cultu, ac veneratione. Titulus 21.

C A P. I.



Ouas eccleſias, Oratoria, Cappellas, aut Monaſteria nemo ædificet, nec noua in ijs erigat altaria,[1] aut erecta demoliatur, niſi noſtra in ſcriptis accepta facultate. In eccleſijs conſtruendis ſitus honeſtus, ac decens, area populi capax, dealbati parietes, itaq; ita conſtruantur, ut ab alijs ſint ædificijs diſiuncta, nulla vero aliarum domorum feneſtra permittatur aperiri, quę in eccleſiam introſpicere poſſit, quod ſi quæ aperta iam ſit claudatur. ſupra oſtium eccleſiæ maximum, vel in frontiſpicij vertice, ſacra aliqua imago, vel crucis ſignum apponatur, quo, vt ædes ſacra diſcerni poſſit.[2] ſi quæ vero domus eccleſiæ coniunctæ ſint, quæ ſordido vſui inſeruiant curent illius rectores, vt earum domini in honeſtiores vſus conuertant, vel nos cõſulant, quid

[1] C. quicumq; 16. q. 1.

[2] C. lator 16. q. 5. c. nemo de conſer. diſt. 10.

quid agendo sit opus. Mulieres meretricio quæstu, vel lenocinio infames procul ab Ecclesijs, vel Monialium monasterijs omnino sub pœna fustigationis degant [3]

3 S. Carol. tit. de immunit. eccles. cap. 30.

C A P. I I.

SI quæ Ecclesia corruat, aut alio sit trāsferenda, vel in ampliorem formam redigenda, eius cæmenta, lapides, ligna, ac rudera nouæ Ecclesiæ, quantum fieri possit, immisceantur, secus in honestum vsum, nostro, vel Archipresbyteri iudicio vēdantur. Dirutæ porro Ecclesiæ iuxta Sacri Concilij Tridentini decretum, [1] transferantur in matricem Ecclesiam, erecta Cruce in loco, in quo prius erant. quod nisi Curati exequantur ad fructuum sequestrationem, aliaque iuris remedia procedetur.

1 Conc. Trid. sess. 21. cap. 7.

C A P. I I I.

IN id etiam beneficiati omnes satagant, vt eorum, quæ ad diuinum cultum, & suarum Ecclesiarum ornamentum pertinent, nihil desit. Iura beneficiorum illæsa teneātur: integra sarta tecta, vt decet, teneātur, & conseruentur. quæ reparatione indigent, restaurent. quod si semel moniti, vel post sex menses à die publicationis præsentium constitu-

ſtitutionum hæc adimplere contempſerint, & vlterius non aduocati, fructuum ſequeſtratione, alijſque pœnis ad id compellentur. per hæc autem nihil immutatum ex his, quæ in viſitationibus præſcripſimus, nec aliam temporis dilationem, aut pœnæ relaxationem fieri volumus.

CAP. IV.

ALtaria nimis prope ianuas eccleſiæ nõ ſint, nec è regione oppoſita maximo altari, neque pilis, vel columnis annexa, ſi quæ huiuſmodi ſint, amoueantur intra duos menſes ab huius cõſtitutionis promulgatione. Cæterum circa ea, quæ in altaribus tenenda ſunt, & quo modo ſint cõſtruenda, de eorum munditie etiam ſeruentur ea, quæ in rubricis eccleſiaſticis, noſtriſque inſtructionibus, in ſingularum eccleſiarum viſitatione ſtatuta ſunt, ſub pœnis noſtro arbitrio, pro negligentiæ qualitate, iniungendis.

CAP. V.

IN vnaquaque eccleſia, vbi commode fieri poteſt, ſacriſtia, ſi exſtructa non ſit, exſtruatur,[1] in qua locus ad inſtar ſacelluli, vel alio modo ſeorſim à reliqua parte deſtinetur: vbi ſacerdos celebraturus expiare,

Sacristia

1 S. Carol. par. 2. edicta. & ordinatiões. ver. ſacreſ.

K ad

ad sacrum se rite præparare, ac Deo gratias agere, sine perturbatione possit: ibidem aliqua sacra imago pendeat, coram qua sit scabellum ad genuflectendum, sedesque ad latus eius coniuncta.

CAP. VI.


DEnique machinæ, atque adeo opera omnia, puluere tormentario composita, quæ ludos igneos vocant, [1] intra ecclesias, occasione cuiuscumque celebritatis, fieri omnino prohibemus, sub pœna excommunicationis. item omnibus cuiuscumque gradus, status, ac conditionis, etiam mulieribus districtè prohibemus, ac sub pœna excommunicationis latæ sententiæ interdicimus, ne tempore, quo missæ in ecclesijs celebrantur, infideles secum quocumque prætextu in ecclesiam introducant. atque sub eadem pœna excommunicationis præcipimus omnibus, qui infidelem aliquem in ecclesia dicto missarum tempore præsentem viderint, vt statim ad rectorem, vel custodem illius ecclesię deferant, vt vel infidelem eijciat, vel à diuinis desistatur, do nec ille sit eiectus.

[1] *Synod. Messan. sub tit. de tollend. Castro ligneo.*

DE

DE REBVS ECCLESIAE NON ALIENANDIS.
Titulus Vigesimus secundus.

C A P. I.



T ecclesiarum indemnitati, aliorumque [1] saluti consulamus sub excommunicatione latæ sententiç mandamus omnibus ac singulis ecclesiarum rectoribus, beneficiatis, procuratoribus, notarijs item alijsque cuiuscumque status, gradus, ac conditionis, qui sciant ecclesiasticorum bonorum locationes, vel alienationes quascumque, & quomodolibet factas esse, nec à Sede Apostolica confirmatas, siue quoscumque census, redditus, aut alia ecclesiastica iura, & actiones, indebite, seu per fraudem, [2] vsurpata esse, intra trium mensium spatiũ, nobis in hac Vrbe, in Diœcesi vero proprijs curatis id reuelent. qua de re sub eadem excommunicationis pœna, intra mensem post factam reuelationem, nos certiores reddere teneantur. Bonis item ecclesiasticis, quæ in emphiteusim, vel in locationem sunt concessa, noui termini non apponantur, inconsul-

1 *Paul.4.in cõstit. incipit iniunctum anno* 1555.

2 *Conc. Trid. sess.22. ca.11. de reform.*

tis nobis. quod ſi aliqui termini, poſt dictam locationem ſunt appoſiti, vel amoueantur, vel extrema per contractum renouentur, vel circa nouos terminos fiant noui contractus, ſub pœnis arbitrio noſtro reſeruatis.

CAP. II.

QVæcumque bona ſtabilia, vel mobilia, contractus, iura, cenſus, ſcripturas, inſtrumenta, ſiue quamcumque rem aliam ad noſtram menſam, Metropolitanam, vel alias eccleſias, monaſteria, ac loca pia quæcumque noſtræ diœceſis iniuſte detinuerit, infra duos menſes à notitia præſentis decreti, vnica, pro trina monitione præmiſſa, debitam faciant reſtitutionem, vel reuelationem, quo termino elapſo eo ipſo excommunicationis vinculo ſint irretiti, prout eos ex nunc præſenti decreto excommunicamus, præcipientes vniuerſis Archipresbyteris, & Parochis, vt ter in anno inter miſſarum ſolemnia, cum populus adeſt frequentior, decretum hoc publicent, vnà cum capitulo decimo ſeſſionis vigeſimę ſecundę Concilij Tridentini. *CAP. III.*

NEmo ex beneficiatis per ſe, vel per alios incidat, vel incidi permittat arbo

rem viuam è prædio, vel ecclesia [1] sui beneficij, sine nostra licentia in scriptis, sub pœna vnius aurei pro qualibet arbore, vel vite, præter exstimationem ipsius arboris, aliusue damni illati.

1 C.T. sess 22. c. 11. & ibi declar. 1. C. sum. bullar. uer. alienatio rer. eccl. 15. banc regulā nu. 33.

C A P. IV.

TEneantur etiam omnes Clerici, quæcumque beneficia obtinentes, item hospitalium, confraternitatum, ac piorum locorum procuratores, vel administratores intra quatuor menses post præsentium publicationem, inuentarium omnium bonorum ecclesiarum, vel piorum locorum, in forma publica ad nos transmittere, in nostro Archiuio asseruandum. [1] In ijs vero ecclesijs, vel pijs locis, quæ nullius curæ sunt demandata, idem præstent Archipresbyteri, omnes vero ad id teneantur, sub pœna vnciarū quatuor, in quolibet casu contrauentionis. Post mortem hæredes illius beneficiati, infra mensem postquam moniti fuerint à successore in beneficio, scripturas omnes ad beneficium illud pertinentes, & in bonis defuncti inuentas, Archipresbytero, seu Vicario tradere debeant, qui statim ad nos mittant, sub pœna vnciarum quatuor.

1 Sixtus V. in constit. incipit prouida, 8. Iunij 1585. fuscus de visit. c. 15. nu. 33.

DE

DE DECIMIS.

Titulus Vigesimus tertius.

CAP. I.

VNiuersos nostræ curæ commissos serio monemus, vt decimas, & primitias ecclesiæ debitas sponte, [1] atque integre persoluant. Confessarij vero per absolutionis subtractionem ad id segnes cogãt. Curati quoque primo, ac tertio die Dominico in quadragesima populum adhortentur, nostraque hæc statuta manifestent, simulque decretum, quod habetur in Concilio Tridẽtino capitulo duodecimo sessionis vigesimæ quintæ, secus Ecclesiasticis cẽsuris puniẽtur.

[1] *Synod. Messan. hoc. tit. Cõc. Trid. sess. 25. cap. 12.*

DE IMMVNITATE ECCLESIASTICA.

Titulus Vigesimus quartus.

CAP. V.

MOnemus omnes cuiusuis sint gradus, dignitatis, vel conditionis ne delinquentes ex Ecclesijs, Monasterijs, sacellis, hospi-

hoſpitalibus, aut quibuſuis locis Sacris, atque Eccleſiaſtica immunitate gaudentibus, extrahere, ſiue vt extrahantur facere ſine noſtra licentia audeant, ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda iuxta conſtitutionem felicis recordationis Gregorij xjv. [1] Quoniam vero in his libertatem Eccleſiæ tueri, non malefactorum audaciam fouere intendimus, Clericis ſub excommunicationis pœna, alijſque arbitrio noſtro prohibemus, ne in dictis locis huiuſmodi delinquentes, ſine noſtro conſenſu recipiant. Quod ſi ob imminens periculum delinquentes ipſi eo confugerint, nec eos dimittere tuto poſſint, ea de re in Vrbe ſtatim ad nos deferant; [2] in Diœceſi rem ad Vicarium illico, & qui nos quam primum certiores facere teneatur, ſub pœna vnciarum viginti.

1 *Incipit. alias nonnulli nono Kal. Iunij 1591.*

2 *S. Carol. hoc eod. tit. cap. 5. verb. mandamus.*

C A P. II.

Omnibus, ac ſingulis ſiue in Vrbe, ſiue in diœceſi commorantibus præſenti ſtatuto, vnica pro trina canonica monitione præmiſſa ſub excommunicatione ſtatim iniuncta præcipimus, vt [1] nemo quouis modo aut quouis quæſito colore præſumat perſonas Eccleſiaſticas capere, aut in carcerẽ trudere,

1 *Bull. Can. Dom. c. 19. c. 2 de for. compet.*

dere aduersus ipsas, processus formare, easue directe, vel indirecte in iudiciũ vocare. [2] Itẽ nullo ex dictis modis molestare audeat Archiepiscopalis Curiæ familiares, officiales, Assessores, ministros, notarios ærarios, commissarios, aliósue quocũmq; nomine appellentur seruientes, atque à nobis iustitiæ administrationi deputatos, siue in hac Vrbe, siue in Diœcesi, tamquam ministros foraneatum curiarum; sed nec eos directe, vel indirecte impedire, vel prohibere, quo minus mandata ad nostram iurisditionem spectantia exequantur, [3] sub ijsdem excommunicationis pęnis, cum foro nostro immediate, ac de iure subiecti sint: [4] quare si de facto eorum aliquem in casibus à iure permissis carcerari contingat, statim quacumque facta monitione, vel notificatione, etiam extraiudiciali, sub dicta excommunicationis pęna, ad nos remitti debeat.

2 Conc. Trid. sess. 25. c. 3. ibi per suos proprios sacr. Congreg. censuit, Episcopum nõ solum posse, sed debere etiam habere familiã armatam.

3 Familia armata episcopi gaudet priuilegio fori. Abbas felin. in cap. cum nõ ab homine de iudic.

4 Viuius opin. 116 Annual. q. 8. nu. 45. Decian. tract. crimin. tom. 1. lib. 4. c. 9. n. 47.

C A P. III.

ILlud Parochi, ac confessarij gabellarum exactoribus sæpe inculcẽt, nec posse eos, nec debere exigere, aut recipere gabellas, vectigalia, aut quascumque alias laicales exactiones à personis ecclesiasticis, [1] etiam spon

1 Bull. Cœn. §. quiue collectas

ſponte dantibus, exceptis ijs, quæ ex mera negotiatione debentur. ſecus in excommunicationem à ſacris iuribus impoſitam incurſuros. excommunicatos præterea eſſe volumus eos, qui dictis perſonis eccleſiaſticis, merces, aut victualia vendere recuſant, aut deteriora tamen exponũt, ea de cauſſa quod eæ à dictis gabellis ſint immunes. Denique debitores etiam laicos, qui cum eccleſijs, aut locis pijs debita contraxere coram nobis, vel noſtro generali Vicario in Vrbe, in Diœceſi autem coram Vicario foraneo, iuxta iuris diſpoſitionem, & in caſibus à iure permiſſis, conueniri, mandamus. [a]

x. q̃ sunt q̃ psonis ecc̃is merces aut alia vendere rec...

DE GRAECIS.

Titulus 25.

CAP. I.



GRæci in hac Vrbe degentes, & commorantes teneantur obſeruare ea, quæ à ſacris Concilijs, & Pontificibus decreta de ipſis ſunt, Niceno primo, & ſecundo, Conſtantinopolitano, Epheſino, Florentino, ſub Eugenio

quarto, & demum Conc. Trid. & bullis Pij quarti, Pij quinti, Gregorij 13. & Clementis octaui, atque fidei professionem emittant, iuxta subsequentem formulam, iussu Greg. 13. [1] præcipimus obseruari ab eisdem festa mobilia, illaque iuxta ritum sanctæ Romanæ ecclesiæ, & iuxta Calendarium Gregorianum celebrari, sub pęna vnciarum trium pro qualibet vice, quam pęnam incurrunt, non solum non obseruantes, verum etiam ij, qui cum talem eorum inobseruantiam cognoscerent, nobis tamen nequaquam reuelarint, ad hæc confessarijs mandamus, ne in hac re delinquentibus faciles se præstent ad absoluendum.

1 In sum. Bullar.

Ver. Græcorũ ritus.

CAP. II.

SAcerdotibus Græcis huc ex Oriente abeuntibus ne facultas detur celebrandi, nisi prius litteras patentes ostenderint, se cum sancta Romana ecclesia esse conciliatos, & errores omnes detestatos fuisse, quod ipsum edita, & in manibus nostri Vicarij generalis fidei professionem confirment.

Cap.

CAP. III.

STatuimus, vt omnibus græcis, græco ritu viuentibus ſigillatim cuique eccleſia, quam in Parochialem frequentent conſtituatur, quatenus hucuſque permiſtim, & confuſim, qualibet earum ad libitum vti, permiſſum ijs ſit.

Finis Primæ partis.



CONSTITVTIONVM ECCLESIAE MESSAN. IN DIOCESANA SYNODO EDITARVM

PARS SECVNDA.

DE VITA, ET HONESTATE CLERICORVM.

Titulus primus.

CAP. I.



Vm ad cæterorum exemplum mores, honeſtaq; vita eorum, qui in ſortem domini vocati ſunt, maxime conducant, ad eos omni ſanctitate informandos ſolerti, ac peculiari induſtria ſancti Patres laborarunt; multaq; ſanctiſſime decreuerunt.[1] Nos igitur quibus eadem incũbit ſollicitudo, eorũ veſtigijs inhærentes, omni ſtudio, & qua poſſumus auctoritate mandamus, vt oẽs Clerici exteriore corporis habitu, geſtu, inceſſu, veſtitu, alijſq; huiuſmodi interiorẽ animi moderationem, ac maturitatem præſeferre ſtudeant. Veſtis tam interior,[2] quam exterior ad talos ſit demiſſa, caligæ nigri ſint coloris, vel qui nigro ſit proxi

1 C. 2. de vit. et honeſt. Cler. clem. 1. eod. tit. ca. clerici. 23. quæſt. 8.

2 C. clerici cle. 2. hoc tit. decr. ſacr. congr. ſeſſ. 23. c. 6. ver. vtantur.

proximus: pileus sit moderatæ altitudinis, ac circuitus, nec intorto, vel laxo velo more laicorum exornatus; collaria sint simplicia, candida, comam, vel barbam immoderate ne nutriant, vel concinnent, tonsuram quintodecimo quoque saltem die renouent, clyrothecas aureo, aut serico filo exaratas, præsertim colorato nullo modo gestent; sed nec annulum, [3] nisi qui Doctoratus gradu sint insigniti, vel qui in dignitate ecclesiastica constituti. Qui in horum aliquo deliquerit, pœna vnciarum quinque plectatur.

3 S.Carol. hoc cod. tit. c. 30.

C A P. II.

IN ecclesijs, in processionibus, in mortuorum funeribus comitandis, non nisi bireto Clericali vtantur, nec ad ea sine superpelliceis accedant, quæ nec lacera sint, nec sordida. Pileum nisi extra Ecclesiam ne gestent, & nisi cum ijs ad arcendas pluuias, vel solis radios, opus erit; per viam, aut extra Ecclesiam nemo superpelliceo indutus, incedat, aut vagetur, nisi cum processio, aut alia muneris Ecclesiastici exercitatio eum habitum exposcat, in suorum vero funeribus ducendis, nemo ex Clericis cuculllione, seu cappuccio, vt vocant cooperiatur, nec col-

lare,

lare, aut Clericale biretum dimittat singula autem sub pœna vnciarum quinque, alijsque nobis reseruatis iniuncta, ac præcepta intelligantur.

C A P. III.

ARma præsertim offensiua non deferãt sub pœna excommunicationis, alijsque arbitrio nostro, quod si quis ob aliquã necessariam caussam ijs indigeat, nostram prius in scriptis facultatem impetret, nec ea obtenta, ijs publicè vti licebit. post datam secundam horam noctis, ne quis extra domum vagetur, nisi ex iusta caussa, sub pœna carcerationis.

C A P. I V.

ATque vt in his, quæ maximi momenti sunt, Clericorum honestati, grauitatique studiosius prospiciamus, ea qua pollemus plenitudine potestatis, omnibus, ac singulis, cuiuscumque gradus sint, prohibemus, ne coram laicis, vel vbi est aliqua populi frequentia natare, vel se denudare, audeant; vel alios natantes, serio, studioseque spectent. A Cauponis vero omnes abhorreant, præsertim ij, qui in ijs locis, domum propriam [1] siue conductam habent; atque

[1] Conc. Trid. sess. 22. c. 1. ...

hæc

hæc omnia sub pœna suspensionis, alijsq; arbitrarijs prohibemus.

CAP. V.

CVm igitur Clericorum proprium sit, Deo, cui regnare est seruire, ac Ecclesijs, & diuinis officijs frequentare; non autem per loca, & Ciuitates vagari, & in laicorum negotijs se immiscere, ac præcipue cum bannitis, & alijs vitijs deditis, qui in dies magis, ac magis in hac nostra Diœcesi grassantur in animarum suarum perniciem, & aliorum detrimentum, ac ministris secularis curiæ tuentur, ita quod ipsimet clerici participes fiunt eorum prauis criminibus, tum cũ eis conuersando, tum consulendo, tum adiuuando, non sine maxima Dei omnipotentis offensa, ac populorum scandalo. igitur tam ~~to~~ pernicioso facinori, quantũ possumus obijcere cupientes hac nostra Synodali constitutione præcipimus, atque mandamus, omnibus, ac singulis Clericis, & presbyteris, aliisque cuiuscumque gradus sint, vel dignitatis, quatenus vllo modo cum bannitis, siue uiarum grassatoribus, vel aliis eiusdem generis, auxilium, consilium, fauorem, per se, vel per alios præstare audeant, aut

cum

cum eis conuersare, in eorum domibus recipere, nec penitus cum eisdem commercium habere, sub pœna vnciarum centum, & alijs pœnis in sacris constitutionibus summorum Pontificum, Grægorij decimi tertii, & Sixti quinti, contentis.

C A P. VI.

Ceterum clerici aleis, siue chartis lusoriis, taxillis, aliisque iure vetitis ludis ludere, vel domos, aut loca, in quibus ij ludi exercentur frequentare, etiam vt solum ludi spectatores sint, non audeant. mensas, aut alia ad hos ludos necessaria aliis parare, vel in partem ire cum aliis, qui ludant: vel curare, vt alii pro se ludant: choreas exercere: personatos incedere: ebrietatis vitio se inquinare, comędiis, impurisq; actionibus, seu spectaculis interesse, & similia, ita sibi vet ita esse cognoscant, sub pœnis in edicto contentis.

C A P. VII.

Omnibus, & singulis clericis, & sacerdotibus in virtute sanctæ obedientiæ prohibemus, ne domi secum habeant [1] mulieres aliquas suspectę ætatis, vel formę, etiã sub pretextu seruitutis, aut famulatus, vel

[1] C.1. de cohabit. cleric. cum mulier. cap. interdic. 32. dist.

etiam consanguinitatis, aut affinitatis, exceptis, matre, auia, sorore, nepte, & cognata, cuius vir superstes sit, secus pœnis à sacro Concilio Tridentino, [2] & alijs arbitrio nostro punientur. atque hac præsenti constitutione ita moniti habeantur, ac si legitime, ac iudicialiter, trinaque monitione [3] præcedente, moniti sint. Cum huiusmodi etiã fęminis extra domum consuetudinem habere, non audeant, secus ijsdem pœnis subiaceant. mulieribus etiam per vias comites se non adiungant; nec vllas legere, scribere, canere, aut instrumenta musica pulsare, doceant, nisi amborũ vita, ætate, cæterisque examinatis conditionibus, potestatem fecerimus, sub pœna vnciarum decem.

2 *Conc. T. sess. 25. cap. 14.*

3 *Monitio facta in Synodo, licet sit vnica, habet vim trinæ monitionis glos. in c. p. si episcop. 18. dist. Abb. c. ex literis de consit. fel. ca. Roman. de appell.*

C A P. VIII.

VT ius gabellarum, iustarumque impositionum integrum seruemus, aliorũque damna, quantum in nobis est, auertamus, nemo clericorum simulatos, fictosque contractus ineat, præsertim emptionis. adeoque omnes huiusmodi contractus, irritos, ac omnino nullos declaramus, itaut nulla ijs in iudicio, vel extra, fides haberi debeat. [1] tunc vero eos contractus, tamquam fictos reiici

1 *Conc. T. sess. 21. cap. 1.*

reijcimus, cum vel pretium vere non erat ipsius clerici, vel cum is, qui rem eo contractu alienauit, [2] adhuc eam possidet. prætere a nec mercaturam, illicitasue negotiationes exerceant, nec prædia, redditus, vectigalia, ceteraque similia conducant, nec directe, vel indirecte cum conductoribus in partem eant. Vinum, frumentum, aliaue segetum genera non emant, nisi quantum suæ familiæ satis esse iudicabunt, nec officio fungantur, secus hoc statuto primo, secundo, ac tertio moniti sint, vt contra eos ad pœnas iuris, aliasque arbitrio nostro procedi possit.

2 C.2. ne cler. vel monacho. conc. Calcen. cap. 3. C. ex litteris de vit. & honest. cler.

praxinetta

C A P. IX.

COram iudice seculari ne caussas agant, prætextu procuratoris, vel aduocati nomine, nec quouis prætextu ad seculare tribunal recurrant. In suis vero, suorumue caussis, vel suarum ecclesiarum coram illo agendis, [1] vel tuendis, nostram prius veniam expectent, [2] sine qua, nec tutelam, nec curam vllius suscipiant, [3] nec testes adsint, nec pro alijs fideiubeãt [4] nisi in nostra curia; testes autem in seculari iudicio non existant, nisi prius à nobis, vel generali nostro

1 Cap. 1. de postulat. conc. Later. sub Alex. 3. cap. 12.
2 C. fin. de postolat. c. nulli. 3 q. 1.
3 Ca. peruenit 86. dist. c. licet 87. dist.
4 C. 1. de fideiussoribus c. te quidẽ 12. q. 1.

Vicario, visis articulis, ac positionibus, ac nostra licentia in scriptis concessa, sub pœna pro qualibet vice, qua eorum aliquod nõ seruauerint, vnciarum quatuor.

CAP. X.

AD plurima, quæ sæpe eueniunt scãdala tollenda. [1] Nemo non ordinatus clericalẽ habitum ferre presumat, sub pœna amissionis vestium, & sub eadẽ pœna nemo, qui nonum ætatis annum impleuerit, votiuum aliquem Religionis habitum, vel tonsuram gerat, nisi dum intra claustrum nouitiatum legitime experitur. satis, vt suæ pietati satisfaciat si laicali veste illius coloris, qui talis religionis est proprius vtatur. atque in eo diligenter Vicarij inuigilent, nam si contra hæc fieri aliquid permittant, pœnam vnciarum viginti soluent, qui vero Clericalem habitum, & tonsuram semel rite assumpsit, eũque adhuc gestat, in posterum non dimittat sine expresso actu renunciationis ipsius habitus apud nostrum magistrum notarium, ac re prius nobis significata. Alioquin si per dies quindecim, quos vnica, pro trina monitione assignamus, laicalem vestem detulerit, subeat pœnis à iure statutis, nec ad habitum

[1] S. Carol. de testibus c. vltimo.

bitum Ecclesiasticum redire sine noua licentia possit.

DE RESIDENTIA.
Titulus Secundus.

CAP. I.


Mnibus in Ecclesia nostra Metropolitana dignitates, Canonicatus, Præbendas, seu Personatus habentibus, omnibus item Archipresbyteris, Parochis, Ecclesiarum rectoribus, cæterisque curam habentibus, serio præcipimus, vt per se ipsos iniūctum sibi officium, exequantur. quare à suis beneficijs, vel officijs abesse ijs non liceat, nisi ex caussa, ijsque positis circumstantijs, quas Apostolicæ litteræ, ac Sacrum Concilium Tridentinum [1] præscribunt sub pœnis ibi contentis, quas hic pro expressis haberi, volumus.

1 *Cōc. Tr. sess. 23. c. 1. sess. 24. c. 12.*

CAP. II.


CEteri vero cuiuscumque gradus sint, & conditionis, quos pœnes suas Ecclesias residere oportet, id sedulo præstent, nec ab illis discedant, facultate, ad id à nobis

non

non impetrata. cumque redierint statim de suo reditu nos certiores faciant, secus tamquam absentes multandos se sciant. Nemini etiam habenti beneficium ecclesiasticum, quod residentiam requirat, ab illo abesse liceat studij caussà, nisi facta sibi canonica licentia, & vere in celebri gymnasio Theologiæ, vel sacris canonibus, vacet.

DE OFFICIO VICARII GENERALIS. *Titulus Tertius.*

CAP. I.



Icarius noster Generalis clericus esse debet, in caussis ad nostrum tribunal spectantibus discernendis, examinandis, ac dijudicandis, sit omnino diligens, integerque. Dei honorem non personarum, discretionem, ac gradus, præ oculis semper habeat, in iis, quæ alicuius momenti sunt nobis referat, iis etiam, quæ speciale requirunt mandatum, nullo pacto se ingerat; omniaque exequatur iuxta commissionis formam, litteras dimissoriales ad ordines, ac beneficia non conferat, nisi prout

à nobis dispositum fuerit. caussas vero miserabilium, sibi maxime cõmendatas habeat.

DE MAGISTRO NOTARIO, AC Commissarijs. Titulus quartus.

CAP. I.



Agister notarius, ac Commissarij in principio sui officij iureiurando asserant, se bene, ac fideliter munus suum tum in scripturis, tum in testimonijs recipiendis, se administraturos, ita vt nihil immutent, addant, tollantue ex ijs, quæ testes deponunt; idque sub mortali peccato nobis reseruato, alijsque pœnis arbitrio nostro infligendis, scripturas ciuiles à criminalibus seiunctas, earumque omnium inuentarium seruet. archiuii claues nemini credat, à muneribus recipiendis, pecuniaue extorquẽda sit omnino immunis, si à nostra indignatione, ac grauissima punitione immunis esse voluerit. Pandectas vero à nobis confirmatas, quæ à prædecessoribus nostris constitutæ fuere, sub pœnis in edictis contentis, penitus obseruet. atque,


vt

vt de iis constet, & multorum querelis persæpe falsis viam percludamus, curet Magister notarius, vt in dorso singularum prouisionum, litterarum, aut aliarum quarumuis scripturarum, quæ à nostra curia emanauerint, notetur distinctè taxa expensarũ, quæ pro iis obtinendis, vel exequendis factę sunt iuxta ea, quæ in nostris edictis iussa sunt, ad quæ eos remittimus. hæc autem omnia intelligantur etiam iussa, ac specialiter mandata tum Commissariis, tum etiam aliis nostræ magnæ Curiæ, atq; in reliquis omnia, quæ in aliis edictis iussimus omnino ad praxim reducantur.

DE OFFICIO VICARII FORANEI.

Titulus quintus.

CAP. I.



Icarii foranei ad clericorũ pręsertim disciplinam [1] conseruãdam, ac reliquorum omnium peccandi licentiam cohibendam contra delinqnentes diligenter inquirant, informationes capiant, & ad nos diligenter transmittant. in grauioribus

1 Agitur de eo in clem. 1. de rescript. & ibi gl. s. verb. foran. & in c. 1. de offic. ord. in 6.

bus excessibus maiorem diligentiam adhibeant, reosq; sub carceribus, vel sufficienti cautione, prout magis expedierit custodiant. si quid nobiscum conferri negotij qualitas postulet, id secreto faciant. In caussis ciuilibus, vltra summam vnciarum decem, non se ingerant, atq; vltra dictam summam ab exequutionibus caussandis prorsus abstineant, & si plures fuerint petitiones librum 105
detineant, in quo pœnas omnes sibi contingentes, aliaque iura ad Curiam Archiepiscopalem pertinentia, fideliter describant.


CAP. II.

MAndata omnia, aliasq; scripturas magistri Notarij Curiæ sedulo exequantur, & vt alij exequãtur, inuigilent, ac vrgeant. eleemosinarũ petitores, sine nostra licentia nõ permittant, nisi eos, qui per eum diẽ victum sibi necessarium obiter quæritant; in pęnis iniungendis sint, vt decet, moderati, nec eas vllo modo directe, vel indirecte applicare sibi valeãt. ecclesias, oratoria, aliaq; pia loca visitent, & inuisant circa ea, quæ à nobis iussa sunt, & in quibus exequẽdis Archipresbyteri negligenter se gesserint, attendant. locum habeant in choro, vel proces-

ſionibus, alijſue publicis functionibus poſt Archipresbyterum, digniorem. reliqua ſeruent iuxta noſtras inſtructiones.

DE OFFICIO ARCHIPRESBYTERI, *Aliorumque curam animarum habentium.* *Titulus ſextus.*

CAP. I.



OMnes Archipresbyteri, ac curati præter ea, quæ ſuperius diſpoſuimus, diligenter etiam curent, vt habeant apud ſe librum, in quo diſtinte deſcriptæ ſint familiæ, ac perſonæ ſuarum eccleſiarum. item alium in quo adnotẽt litteras, edicta, decreta, aliaque à Curia noſtra Archiepiſcopali emanantia, quæ ad ſuum officium ſpectant. Sacras veſtes, quæ ſuo vſui propter iuſtas cauſſas, aptæ non ſunt, ne vendi, aut in vſus profanos referri, permittant; ſed combuſtas, & in cinerem redactas in ſacrarium conijciant. Omnium, quæ ad miniſterium eccleſiæ inſeruiunt nitorem, ac munditiem cordi habeant; quamobrem ſępe lauari, aut tergi curent: nec permittant ſa-

cra vasa à laicis studiosè tangi, excommunicationem eis comminantes.

CAP. II

CVrent omnes, vt benedictiones cinerũ, candelarum, ac ramorum palmarum, statutis ab ecclesia temporibus fiant; & in ecclesijs Parochialibus, in quibus sacramenta administrantur, Sabbatis Paschæ Resurrectionis, & Pentecoste aquam ad baptizandum benedicant, (vt moris est) & illam in baptismali fonte reseruent; non obstante quocumque vsu in contrarium iuxta constitutionem Synodi huius Diœcesis secundæ partis, tit. de Baptismo. [1]

[1] synod. Messan. sub tit. de baptismo

CAP. III.

SInguli Curati teneantur Sacerdotem, vel saltem in sacris constitutum die Cœnæ domini sacro ad nos mittere, qui ternis vasculis, ijsque bene mundis olea sancta pro suis ecclesijs accipiat. Vnus autem non nisi pro duabus ad summum ecclesijs; negotium hoc sub pœna vnciæ vnius, moneaturque, ne per viam, neque alibi quomodocumque vmquam vasa illa vbi olea cõtinentur, committat, aut credat, nisi proprio curato, sub pœna suspensionis ipso facto incurrenda [1] præterea

[1] Sess. 24. c. 18
[1] C. presbyter q. 5. dist.
C. omni tempore de cons. dist. 4.

terea in suis ecclesijs sacramentalibus neminem permittant sacristæ munera exercere, qui clericus non sit, si fieri commode potest.

CAP. IV.

VT vero pro nostro pastorali officio, Curatos non solum ijs præcipiendis, quæ ad ipsorum munus pertinent, adiuuemus, sed etiam facilioribus modis, vt suæ obligationi satisfaciant ostensis in tãto subleuemus; quo possint eos obseruare, qui in Paschate non communicauerint, eorumque saluti facilius modo antea explicato, procurare: hanc in re tanti momenti, ab omnibus rationem seruari volumus: nempe vt quadragesimæ tempore singulati Curati adiunto sibi vno, vel duobus sacerdotibus maturę ætatis, ac virtutis, percurrant singulas suorum Parochianorum domos, in quibus, quot sunt siue mares, siue fęminæ, cuiuscumque sint ętatis omnes adnotent, deinde priuatim recensitis, qui sint ad communicandum in vna quaque domo apti, eorum numerum, & nomina, cum cuiusque domo separatim describant. mox singulis ad ecclesiam accedentibus statim, ac communicauerint schedulam tradent seruandam sigillo signatam,

quæ

quæ ſolum annum, qui tunc agitur, ſcriptũ, vel impreſſum contineat. Poſtremo poſt octauam Paſchatis eaſdẽ omnium domos ijſdem comitibus repetant, atque à patrefamilias, vel alio tot ſchedulas ſibi reddi petãt, quot ad ſacram ſynaxim aptos in ea domo deprehenderant, ac deſcripſerant; quod ſi aliquæ deſint, inquirant, quisnam non communicauerit, ac cum eo ſe gerant modo ſupraſcripto.

CAP. V.

PArochi, vel Curati in quorum eccleſijs per hebdomadas à pluribus Sacerdotibus inſeruitur: teneantur ſingulis annis initio menſis ſeptembris, quot, & qui nam ex illis à nobis approbati Confeſſarij munus in ſingulis eccleſijs exerceant nobis in memoriam reducere, vt iuxta eorum laborem peculiaris de ijs ratio habeatur. dedecet enim vbi meritum, ac labor eſt impar, par tribui præmium, & mercedem.

CAP. VI.

OMnes denique Archipresbyteri, ac Vicarij, cum aliquam eccleſiam in qua cura animarum exercetur, per ſui curati mortem vacare contigerit, quamprimum

nos

1 Conc. Trid. sess. 24. c. 18.

nos certiores facere teneantur, vt iuxta sacri Concilij Tridentini [1] dispositionem clericos per debitum examen probatos, ad illius curam, ac regimen assumamus.

C A P. VII.

AD tollendum abusum, quem in aliquibus terris huius Diœcesis inuenimus, quod Archipresbyteri, quorum munus est curam animarum omni diligentia, ac sollicitudine gerere, hoc proprio eorum munere non contenti, se contra formam iuris in caussis ciuilibus, & criminalibus tractandis intromittunt, ex quo graues suscipiunt inimicitias, & multorum in se odium concitant, & populo, cui se beneuolos præstare debuerant, odibiles fiunt, & minus accepti, quales esse non decet, præsenti synodali constitutione mandamus omnibus Archipresbyteris nostræ Diœcesis, quatenus nullo modo, vel quæsito colore in ijs, quæ iurisditionis sunt ordinarij, & ipsi dilatando eorum fimbrias vsurparunt, se immisceant, sub pęna suspensionis à diuinis ipso facto incurrēda, nisi in ijs quæ à nobis specialiter fuerit commissum manūmittant, verum in omnibus ijs,


quæ

quæ ſpectant ad exequutionem officij archi presbyteratus iuriſdictionem habeant.

DE OFFICIO SACRISTAE.

Titulus ſeptimus.

CAP. I.



Mnia ad eccleſiam pertinētia, quæ ipſius cuſtodiæ commit tuntur, non niſi per inuentarium recipiat, vt de ijs rationem reddere ſemper ſit paratus. Aquam luſtralem benedici, ac renouari ſingulis ſabbatis curet. Sacrarum veſtium colores, pro temporum qualitate alternet, ac permutet. parietes, altaria, ſacella, pauimenta ſemper munda, ac nitida vt ſint laboret. Silentium, ac modeſtiam, tum in Eccleſia, tum in eius veſtibulo, vel oſtio, atque etiam in ſacreſtia ſeruari exacte ſatagat. hoſtias, vel ipſe, vel alius Clericus, nullo modo mulier, aut laicus conficiat. Denique in Eccleſia, vel ſacreſtia quamuis obtenta occaſione, neque ipſe per noctem cubet, nec alios cubare permittat, ſub pœna vnciarum quinque.

DE

DE OFFICIO EXORCISTAE.

Titulus octauus.




Oc exorcistæ munus nemo exercere audeat, & si Sacerdos sit, nisi moribus, atque ætate probatis per nos ad id facultatem in scriptis obtinuerit. Atque in eo munere exercendo præcipue cum mulieribus, aut puellis memor sit honestatis, ac modestiæ, idque non exerceat nisi coram pluribus, ac præsertim coram illius parentibus, aut consanguineis. Cetera omnino seruet iuxta ritum ab Ecclesia præscriptum. Si quid de suo addat, id tamquam superstitiosum damnabitur, ipse grauiter punietur, sique in hoc munus non facta potestate se ingesserit, vel prædicta non seruauerit, suspensionem, ac carceris pœnam incurret.

DE

DE IVDICIBVS SYNODALIBVS.

Titulus nonus.



CVpientes in hac nostra Diœcesana Synodo sacri Tridentini cōcilij [1] iussis obtemperare, synodales Iudices, qui nobis ea morum integritate, ac doctrina prædit visi sunt, vt ijs, sine vlla fraudis, vel incuriæ suspectione, caussę ecclesiasticę delegari possint, eos nominamus, atque eligimus, quorum nomina sub titulo Iudicum Synodalium, quorum officium duret, donec altera synodus peracta sit. Eorum nomina sunt.

[1] *Conc. T. sess. 25. c. 10. c. statutū de rescrip. in 6.*

D. Honufrius Sersalis, V. I. D. Vicarius generalis.

D. Nicolaus Antonius Mauro, Cantor.

D. Federicus Portio, D. D. Canonicus.

D. Mauritius Iurba, D. D. Canonicus.

D. Paulus Minutolo, Canonicus.

D. Franciscus Camuglia, Canonicus.

D. Iacobus Bracietta, Canonicus.

D. Vincentius de Michele, Cappellanus maior.

D. Dominicus Micari, Canonicus.
D. Paulus de dominico, Canonicus.
D. Paulus Gazari.
D. Vincentius Galifi.

DE POENITENTIARIO.

Titulus decimus.

SAcri Concilij Tridentini mandata exequentes, deputamus in nostra Metropolitana ecclesia, Don Antonium Sbert Decanum, in Pœnitentiarium, iuxta eiusdem Concilij decretum.

DE EXAMINATORIBVS SYNODALIBVS.

Titulus Vndecimus.

CAP. I.

1 Conc. T. sess. 24. c. 18.

PRæter ea, quæ ordinandorum examinatoribus superius iussimus, [i] hæc etiam examinatoribus synodalibus seruanda præcipimus; quoties examen per concursum fiet, omnibus, qui examinantur eadem quæstio propronatur, atque à singulis

gulis circa eamdem responsio expectetur, vt facilius quis cæteris in ea re præstet, dignosci possit. Res vero de quibus examinandi sunt, ad curam præcipuè, ac regimen animarum, ac sacramentorum administrationem spectare debent.

CAP. II.

ABsoluto iam examine Secretarius cōgregationis examinis nomina omniū eorum, qui examen subierunt in libro peculiater ad id deputato describat, & distincte eos, qui approbati, ab ijs, qui reprobati sūt, & quod in examine fuerit decretum sub scribatur ab examinatoribus, atque à nobis, vel Vicario nostro generali: expresso modo vocationis beneficij, die vacationis, affixionis edicti, concursus, & nominibus concurrentium, etiam non approbatorum. cæterum, quæ in examine gesta sunt, aut cuiuslibet votum, vel alicuius reprobationem, vel approbationem, nemo alijs ab examinatoribus, qui fuerint præsentes concursui manifestet sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, neque aliquem ex ijs, qui examini propter quemcumque finem subiacet, quisque præmoneat, quibus de rebus examinan-

dus sit, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda. Examinatores vero per hanc Synodum electi nominantur.

D. Honufrius Sersalis V. I. D. Vicarius Generalis.

D. Antonius Sbert, V. I. D. Decanus.

D. Franciscus Aria, S. T. D. Archidiaconus.

D. Iulius Cæsar Minutolo, V. I. D. Canonicus.

D. Franciscus Flaccomius. S. T. D. Canonicus.

D. Matthæus de Gregorio, S. T. D. & V. I. D. Canonicus.

D. Lucas Cuchiglia, V. I. D. Canonicus.

D. Dominicus Copani, S. T. D. Canonicus.

D. Ioseph Gaudiosus, S. T. D.

D. Hieronymus Resica, S. T. D.

P. Præpositus domus sanctissimę Annunciatæ Clericorum Regularium.

P. D. Benedictus Pontecorto, clericus regul.


P. Vincentius de Rogerio Cler. minimorũ.

Fr. Marcus à Platea ord. minim. S. Francisci reformat.

Fr. Ioannes Baptista à Castane: ord. S. Francisci de Paula.

DE TESTIBVS SYNODALIBVS.

Titulus duodecimus.



AC ne, quæ tanto ſtudio in animarum ſalutem ſtatuenda curauimus, fruſtra ob aliorum negligentiam, 1 ſtatuiſſe videamur, viros quoſdam virtute, ac rerum peritia eximios in ſingulis noſtræ Diœceſis locis ſtatuimus, qui diligenter obſeruent, quid in ſingulis locis correctione, ac reformatione dignum, videatur. quid ad animarum ſalutem conducere poſſit: an Synodales ſanctiones, noſtraque edicta obſeruentur: de ijsq; ſtatutis temporibus nos præſertim in viſitatione, vel nobis abſentibus, Generalem Vicarium moneant. Atque de his iuramentum præſtent iuxta formam à nobis traditam. eorum autem nomina ſunt.

1 Episcopus in Synod. 35.q.6 Hostien.c.sicut de accusationibus.

D. Leonardus Patè, V. I. D.
D. Thomas Coruiſeri, D. D.
D. Hieronymus Reſica, S. T. D.
D. Ranerius de Federico, S. T. D.
D. Paulus Armaleo, S. T. D.

D. Albertus Piccolo, V. I. D.
D. Vincentius Rizzo, S. T. D.

DE SEMINARIO CLERICORVM.

Titulus Decimustertius.



On admittãtur in Seminarium nisi pueri optimæ indolis, & pauperes, qui saltem duodecimum ætatis annum expleuerint, octauum vero decimũ nondum attigerint. Grammaticæ rudimentis sint aliquo modo instructi, vt citius ad altiores disciplinas ascendant. [1] quæ vt facilius eueniant, non nisi per concursum eligãtur. atque, vt tanti commodi tota Diœcesis æque sit particeps, præcipimus, vt ex quo loco vnus quispiam admissus sit, ex eodem alius secundo non admittatur ad concursum, nisi prius ex omnibus alijs locis aliquis primo suscipiatur. Quod ad ipsorum instructionem, atque educationem spectat, seruentur regulæ quas breui promulgabimus. Vbi ẽt de Seminarij deputatis, alijsq; officialib⁹, eorumq; partibus agemus. Ditiores etiã nõ excludimus, modo suis alantur expensis.

[1] Conc. Trid. sess. 25. c. 18.

DE

DE HOSPITALIBVS ET CONFRATERNITATIBVS. *Titulus Decimus quartus.*

CAP. I.



Ectores, administratores, procuratores, alijque superiores hospitalium, confraternitatũ, montium pietatis, [1] seu caritatis, aliorumue piorum locorum, non eligantur nisi viri graues, ac maturi, bonæque famæ, nec indigentes, aut qui dictis locis pijs aliquid habeant. eorumque officium duret per annum, nec si per eorum locorum institutionem liceat eumdem confirmare, id fieri possit vltra alterum annum, & pro vna vice tantum, nisi aliter expresse in alicuius loci fundatione sit dispositum.

[1] *Conc. Trid. sess. 22. c. 9. de refor.*

debeant

CAP. II.

NOuæ Confraternitates, [1] seu Oratoria, aut Congregationes non erigantur, nisi nostro consensu; erectarum verò teneantur superiores intra duos menses post Synodum promulgatam nobis præsentare capitula, seu regulas, aut instructiones, simulque

[1] *Clem. 8. constit. incipit quęcumq; 22. decemb. 1604.*

musque preces, seu officia, quæ in his recitari solent, siue manuscripta sint, siue typis impressa. In huiusmodi vero Oratoria, seu Congregationes, aut Confraternitates nullo pacto mulieres introducantur, nisi ecclesiæ publicæ sint, sub pœna unciarum viginti. atque in dictis locis nemini sepultura concedi possit, nisi intra duos menses priuilegio, aut probata consuetudine id fieri posse, nobis monstratum fuerit.

CAP. III.

Confraternitates omnes, quæ processionibus interesse solent hora sibi constituta ad matricem ecclesiam conueniant, vt locum sibi debitum, iuxta cuiusque antiquitatem detineant, quod si aliqua ad horam conuenire distulerit, aliæque iam præoccupato loco processionem iam inceptam prosecutæ fuerint, nullum in processione locum habeat, nec alijs se immiscere, aut suũ locum pro eo tempore, quærere præsumat.

CAP. IV.

Atque, vt omnis intemperantiæ occasio [1] à pijs locis distineatur, omnibus, ac singulis cuiuscumq; confraternitatis confratribus prohibemus, ne conuiuia, aut sen-

[1] S. Carolus de rel. dom. c. 6. Conc. Laodic. can. 28.

tacula

tacula, seu commessationes in ipsis Oratorijs, seu confraternitatibus agant, & si in aliis ędibus dicta cõuiuia celebrare voluerint nullo modo id fiat ex bonis ipsarum confraternitatum, seu ecclesiarum, neque ad ea mulieres admittantur, sub pœna excommunicationis.

CAP. V.

PÆcuniæ, redditus, siue eleemosinæ ecclesiarum, seu confraternitatum, vel hospitalium, aut quorumcumque piorum locorum, non ipsis superioribus, sed alicui depositario, vel Thesaurario, ab ipsis communi suffragio electo, consignetur, qui statim accepta libro mandet, superioribus ipsis præsentibus: nec aliquid expendat sine mandato in scriptis maioris partis maiorum officialium, vel rectorum, expensæ deinde factæ registrentur vnà cum confessione eius, qui pecuniam accepit, secus tamquam pro non expensis habeantur.

CAP. VI.

CAueant Rectores, aut alij huiusmodi administratores, ne piorum locorum bona ab ipsis locanda, ipsi per se, vel per medias personas conducant. quæ vero ab

alijs debentur omni diligentia exigant sicuti omni interna pietate festa quæ peragi, cōsuetudo est accuratissime celebrare oportet, ita nimis, ne sint in externa quadam, ac populari pompa, quæ parum diuino cultui conducat, & plurimum ecclesiarum facultatibus detrimenti inferat. quare brauia quæ equorū, aliorumue cursibus præponi solent, ecclesiæ sumptibus non emantur, nec in parietibus ornandis, mortariolis edendis, alijsue huiusmodi præstandis excedatur summa, quæ à nostris deputatis præscribetur, secus de proprijs bonis satisfacere ecclesiæ, teneantur, alijsque pœnis pro arbitrio nostro subiaceant.

+ expendendis

CAP. VII.

NE fideles ab eleemosinis largiendis ob peruersam earum dispensationē, quæ non sine graui scandalo, quandoque euenit, reuocentur in ijs præsertim bene administrandis inuigilent, quæ locis pijs à viuentibus, vel per vltimas morientium voluntates relictæ sunt ad puellas, seu virgines matrimonio collocandas. Præcipimus igitur omnibus cuiusue loci pij Rectoribus, seu procuratoribus, aut quouis nomine appel-

lentur

lentur, administratoribus, omnibusque vltimarum voluntatum executoribus, vt has eleemosinas non ad suas, vel suorum ancillas, famulasue coarctent, sed eas veris orphanis iuxta donantium, aut testantium intentionem largiantur. quare cum dicti Rectores, alijque supra nominati alicuius puellæ electionem facturi sunt, id non faciant sine interuentu, aut consensu eorum, qui à nobis pro executione piorum legatorum deputati sunt [1] secus electio sit nulla atque electores dotem alteri assignatam teneantur de suis bonis alteri legitime eligendæ assignari. quod si expresse cōtra hanc constitutionem per donatores, aut testatores fuerit dispositum spectabit ad Deputatos diligenter inquirere an ij, fideliter iuxta eorum voluntatem rem fuerint exsecuti.

[1] Synod. diœces. Messan. sub tit. de modo elig. nubil. & sub tit. de dot. orphan.

C A P. VIII.

ATq; vt nouis fraudibus, nouis remedijs occurramus districte prohibemus, ne plures vno anno puellæ admittantur ad matrimonium, quam fuerint dotes ex annuis assignatis redditibus iam completæ, itaut statim cuique nuptæ sua dos tribuatur. hoc autem ita intelligi, volumus, vt nulla nunc

intelligatur electa, vel admissa, quæ dotem anno insequente sit consecutura, sed talis electio, vel admissio penitus inualida censeatur: contra vero hæc decreta facientes, & excommunicatione ferimus, & ad tantundem de suo, quanti dos promissa æstimabitur, multabimus.

CAP. IX.

QVæ omnia recte instituta, vt certius, ac facilius consequamur, quinq; Deputatos in singulis nostræ Diœcesis locis constituimus, quorum præcipuum munus sit, rationes expensarum factarum, in quibusuis fabricis, seu operibus locorũ piorum diligenter exigere, atque expensas faciendas moderari, qua de caussa in festis celebrandis, vel ecclesijs ornandis, alijsque huiusmodi sumptibus faciendis, excedi non possit summa ab his deputatis præscripta, nec pecunia vlla impendi possit, nisi de mandato dictorum Deputatorum quapropter hi singulis hebdomadis saltem semel conuenient in certum locum, tum vt mandata expediant, tum vt rationem expensarum statuant, vel exigant. denique id præsertim sibi mandatum sciant, nempe vt diligenter

inuestigent, an pia legata, & vltimæ voluntates executioni mandentur, idque modis omnibus promoueant, vrgeantque. Nosq; sæpe de omnibus exacte, accurateque certiores reddant, ij vero, qui his omnibus deputati sunt, præter Archipresbyterum cuiusque loci, duo Sacerdotes, duoque laici, integris moribus, ac consilio præditi constituentur.

DE QVESTORIBVS ELEEMOSINARVM.

Titulus Decimus quintus.



Ræter illa, quæ hactenus circa eleemosinarum questores sparsim iussa sunt, præcipimus, vt qui pro confraternitatibus eã flagitent, viri sint probatæ vitæ, quique id præstent gratis. qui vero pro alijs pijs locis, quæ Confraternitates, aut Congregationes non habent adiunctas, nec gratis laborem suscipere voluerit, mercedem à solo Deo expectans, id faciat pacta mercede, quæ arbitrio deputatorum moderata esse debet. Omnes vero exactas eleemosinas loci illius depositario, vel

Thesaurario tribuant, earum summa scripto adnotata. hæ eleemosinæ sine nostra in scriptis licentia quæri non possint. Archipresbyteri, ac Vicarij, tum dictos quæstores, tum quemcumque etiam mendicum intra ecclesias stipem corrogare, ne permittant, per viam, aut per domos, aut ad fores ecclesiæ fideles interpellare. [1] Ceterum solemniores quosdam concursus, qui ad lapides ferendos, vel ligna cedenda timpanis, seu tubis cogi diebus festis solent, omnino impediant, & si in ecclesiæ cuiusuis beneficium id fiat sub pœnis arbitrio nostro seruatis.

1 Conc. T. sess. 21. c. 9.

DE MONIALIBVS.

Titulus Decimus sextus.

CAP. I.



CVm ad Abbatissæ munus alia denuo, uel suffragijs monialium, vel alia ratione sufficienda est, nullo pacto sine nostra facultate soror eius, quę præfuerat, aut ei in secundo consanguinitatis coniuncta gradu, eligatur, nisi forte ab excessu vnius ad assumptionem alterius triennium integrum præterierit.

Ex litteris sacr. Congreg.

Cap.

CAP. II.

QVi clauſtra, aut ſepta ſanctimonialiũ ingredi auſus fuerit, niſi ad aliquem neceſſarium vſum, ſcriptã à nobis licentiam obtinuerit, ſit ipſo facto excommunicatus, ſi clericus ſit etiam ab ordinum executione ſuſpendatur: [1] ſi beneficiatus, beneficio ipſo, & facto priuetur. Præter eos, qui quod victum, ceteraque monialibus neceſſaria deferunt (quibus tamen, non niſi ad rotam cum ijs loqui permittitur) nemo ad earum Monaſteria, aut cum monialibus, aut quacumque alia, quæ in Monaſterio degat, ſine noſtra licentia in ſcriptis (quæ gratis dabitur) colloquatur, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ. hoc tamen decreto non comprehendimus Parentes, auios, aut auias fratres, ac ſorores eius, cum qua colloquendum eſt.

1 C. periculoſo de ſtat. reg. in 6. Conc. Tri. ſeſſ. 25. de reg. c. 5. Pius V. in conſtit. circa paſtoralis officij 19. Iunij 1566. Greg. 13. in cõſtit. d ſacr. Deo Virginibus 21 Ian. 1573.

CAP. III.

QVoniam vero in quampluribus locis obſeruatum à nobis eſt, horum monaſteriorum eccleſias, vel locutoria, ſegregata, atque extra populi frequentiam eſſe, adeoque non exigua ex loci opportunitate oriri poſſe ſcãdala; idcirco omnibus, & ſin

& singulis, cuiuscumque gradus, aut conditionis sint, siue in hac Vrbe, siue alibi per Diœcesim colloquendum sit, in virtute sanctæ obedientiæ mandamus, vt viri separatis temporibus à fęminis, & illi quidem feria secunda, & tertia, hæ vero reliquis ad alloquandas moniales, accedant. festis vero diebus, vt soli Deo vacent moniales, omnis cum illis externorum collocutio interdicitur sub pœna.

CAP. IV.

IN dictis ecclesijs nemini liceat missas, aut verba facere sub pœna suspensionis, eo ipso, subeunda: [1] litteræ vero, seu schedulę si quæ ad eas, quæ in Monasterio degunt, mittantur, in manu solius Abbatissæ credantur, sub pœna excommunicationis, statim incurrenda.

[1] C. monasteria vbi Abb. de vit. & honest. Cler.

CAP. V.

COnfessarij extraordinarij, pro Monialibus, [1] quinô ad Abbatissæ arbitriũ, sed nostro iussu, etiã nemine petente à proprijs monasteriorum Cappellanis, ter in anno, vt adeant monasteria, curandum est; hortandæque omnes, vt ad eos accedant, atque toto illo tempore, quo extraordina-

[1] Conc. T. sess. 25. de reg. c. 8.

riæ, confeſſiones excipiuntur, cappellani nullam vllius audiant, niſi in peruigilijs, ac Sabbatho, & mane dierum feſtorum, ac Dominicarum, quod ſi in his non paruerint, & officio priuabuntur, & alijs pœnis, prout iudicabimus, plectentur.

CAP. VI.

MOnaſterij anterior ianua perpetuo duabus ſit obſerata clauibus, quarum vnam, quæ exterior eſt, Cuſtos à nobis deputandus, alteram, [1] quæ interior eſt, Abbatiſſa apud ſe noctu habebit. Exteriorem ſtatim poſt occaſum ſolis, Cuſtos ipſe recipiat, atque apud ſe ſemper ſeruet; nec niſi orto ſole eam Abbatiſſæ reſtituat, in eoque vtriuſque conſcientiam oneramus, quod ſi grauis neceſſitas aliud poſtulet, eorum diſcretione, ac viſitatoris conſilio res agatur.

1 S.Carol.cap. 8. hoc tit.

CAP. VII.

PIla ludere, noctu, aut diu cantus, ſonos ciere ~~iure~~ prope hæc monaſteria nemini ſub excommunicatione latæ ſententiæ liceat. Si externorum feneſtris interior, monaſterij pars vlla pateat, hæ intra menſem occludantur, nec aliæ huiuſmodi fieri permittantur.

CAP. VIII.

PVellæ in Monasterijs educationis causa ne intromittantur, nisi præstita prius idonea cautione in actis nostræ M. C. per idoneum aliquem Clericum, vel si laicus sit, cum expressa renunciatione fori laicalis iuramento firmata, & cum Camerali obligatione, soluendi monasterio alimenta quolibet semestri anticipata semper solutione ad rationem saltem vnciarum duodecim in singulos annos, ac de recipiendis ijsdem puellis ad omne nostrum mandatum; quod si elapso mense alimenta promissa, nec dum soluta sint, teneantur Abbatissæ nos statim monere, sub pœna priuationis officij, illæ vero dimittantur.

CAP. IX.

1 Conc. T. sess. 25. de reg. ca. 16.

MEminerint [1] omnes puellarum virginum, seu viduarum parentes, vel consanguinei, se grauissime Deum lædere, atq; excommunicationis pęnam ipso facto incurrere, quam Concilium Tridentinum Diuino impellente spiritu, sanxit, si aliquam ad ingrediendum monasterium, vel habitum suscipiendum, vel professionem emittendã coegerint, qua pœna etiam ligantur, qui cõsilium,

ſilium, auxilium, vel fauorem ad id dederint.

C A P. X.

SInguli monaſteriorũ procuratores intra octo menſes, à die publicationis harum conſtitutionum teneantur in codicem, ſeu rollum referre ſcripturas omnes, inſtrumenta, ſeu contractus per extenſum, in quibus continentur iura, actiones, priuilegia, atq; etiam debita ipſorum monaſteriorum. [1] Inuentarium omnium bonorum monaſterij, quod ad Archiuium noſtrum tranſmittant, ſub pœna priuationis officij, & vnciarũ ſex. Nec vllus contractus circa bona monaſterij celebretur, ſiue locationis, ſiue cenſus, vel alterius cuiuſuis generis ſit, nec dilatio Monaſterij debitoribus concedatur ſine noſtra in ſcriptis licentia. ſecus Abbatiſſa ad tres menſes ab officio ſuſpendatur. Procurator vero pœna à nobis imponenda plectatur.

[1] S. Carol. ca. 88. cod. tit.

D E V S V R I S.

Titulus 17.

C A P. I.

AMpliſſimam hac in re decernendi materiam ſuggerit nobis immoderata im

piorum hominum auaritia, qui humanitatis omnis obliti, dummodo colore, nescio quo, atque artificio rem adumbrant, nullum iniustitiæ scelus erubescunt. quoniam vero fraudes, quæ quotidie in omni fere contrahendi genere à nefarijs, ac perditis hominibus patrantur, ab ijsdem, natura ipsa commostrante, dignoscuntur, pœnis potius à tanta barbarie, atque inhumanitate coercendos, quam, quid, vel in qua contrahendi, emendi, vendendi, aut mutuandi, vel commodandi forma peccetur edocendos, iudicauimus. Sciant igitur, tum contra omnes vsurarios, tum contra eos præcipue, qui cābia exercent, non seruatis omnibus, & singulis conditionibus, quæ à felici [1] recordatione Pij Quinti indictæ sunt, omnino procedendum.

[1] Pius V. constit. in incip. cū omnes, 14. kal. Sept. 1568.

CAP. II.


VNum illud hac in re nouiter, turpiterque inuentum omnino volumus damnatum, ne liceat pecunias, vel proprijs, vel alienis mancipijs, vel turcis præbere, vt in ijs negotientur, nec illis mutuo commodare frumentum, sericum, vinum, pecunias, vel suo, vel ipsorum nomine in ijs, sub titu-

locambij, vel quouis alio titulo negotientur, sub pœna excommunicationis, siue ij Turcæ, vel infideles seruituti addicti, siue sui iuris, ac liberi sint, neque id cum fidelibus mancipijs, aut seruis facere liceat, sub eadem excommunicationis sententia. Omnes vero serui, siue liberi infideles, siue fideles dictas pecunias, sericum, aliaue huius generis acceptantes, pœna fustigationis pro qualibet contrauentione, puniantur. Domini vero, qui tales negotiationes seruis suis, scientes, exercere permittunt, eidem excommunicationis pœnæ, & alijs nostro arbitrio subiiciantur.

DE POENIS.

Titulus Decimus octauo.

CAP. I.



Oene omnes in certum librum referantur, ac singulæ distincte annotentur, isque in nostro Archiuio conseruetur. Depositarius dati, & accepti librum 1 conficiat, nec aliquid expendat nisi id à Nobis iussum fuerit, secus tantundem 1 S. Carol. hoc tit. cap. 3.

de

de suo soluat, & quolibet anno acceptæ, ac redditæ pecuniæ rationem nobis reddere, teneatur.

DE SENTENTIA EXCOMMVNICATIONIS.
Titulus Decimus nonus.

CAP. I.


Astoralis pietas exigit, vt non modo prauæ indolis homines à peccatis grauissimas pœnas comminātes [1] absterreamus; verum etiam, vt si ob proteruam animi duritiem in peccata, ac peccatorum pœnas inducere se voluerint, tanto, in quo miseri versantur malo præ oculis obiecto ad meliorem frugem, e tanta calamitate, nobis coadiuuantibus euadant, quoniam vero maxima, ex his, quas Ecclesia infligere solet pœnas, ea est excommunicatio. Si quem forte (quod Deus auertat) in eam incidisse, contigerit; Parochi pro suo munere, ac nostro peculiari mandato, non desistant eum monere, de pessimo in quo versatur statu, [2] quamque graue, ac periculosum sit in ea cēsura durato animo perseuera-

[1] C. incipiatur 24. q. 3.

[2] S. Carol. hoc tit. c. 2.

ſeuerare effecta excommunicationis amplificet, facilem ſe reconciliandi viam, promptamque noſtram miſericordiam, ſi reſipuerit oſtendant, ſi autem ea nihil proſint, moneant eum ſi per annum obduruerit, tamquam de hæreſi ſuſpectum eſſe denunciandum.[3]

3 Conc. T. ſeſſ. 25. c. 3. in fin. de reform. Nauar. in ma. c. 27. num. 71.

CAP. II.

QVod ſi quis nominatim denunciatus ſit, curet Parochus,[1] vt à populo vitetur, illiuſque nomen in libro adnotetur, addita deinde in eodem libro nota abſolutionis, ſi eam obtinuerit, at ſi aliquis de ſua in aliam Parochiam, vel terram migrauerit. Parochus proprius illi ad cuius parochiam tranſierit, vel Archipresbytero rem totam aperiat: cuius deinde munus erit ea exequi, quæ hactenus proprio parocho iuſſimus.

1 Cura 11. q. 3. Abb. in ca. Paſtoralis §. verum de appell.

CAP. III.

CIrca excommunicationes, quæ pro reuelatione comminari, ſolemus, ſtatuimus, vt monitoria non fiât ad inſtantiam excommunicati,[1] nec pro facto proprio ipſius, qui reuelare iubetur nec infra ſummam vnciarum ſex, quamobrem apponatur ſem-

1 Sic ſeruat Romana Curia ex Conſtitut. Pÿ V.

per clausula, Dummodo petẽtis intersit saltem vnc. 6. seruetur autem in ijs emittendis modestia, ne alij furti, aut alterius peccati insimulentur, exemplar denique reuelationum non concedatur, quando continet infamiam, quando vero cõceditur, id fiat semper cum clausula, quod non possit eius vi, nisi pro ciuili interesse, ac ciuiliter tantum agi, alias reuelatio nullo modo faciat fidem; quod si secus factum fuerit, tum iudici, tum parti excommunicationis pœna iniungatur.

DE PIORVM LEGATORVM Executione. Titulus Vigesimus.

CAP. I.



Ræsenti Synodali constitutione, etiam tamquam Sedis Apostolicæ delegati, omnes curæ nostræ commissos, vt pie relicta statim exequi, & adimpleri, non desinant[1] Omnibus præterea, ac singulis Sacerdotibus, fideicommissarijs, alijsque quolibet titulo testamentorum, vel vltimarum voluntatum executoribus, vt intra tres menses, quorum primum pro primo, secundum pro

1 Conc. Trid. Sess. 22. ca. 8. C. si hæredes C. Ioannes. C. tua nobis de testam.

pro ſecundo, & tertium pro tertio peremtorio termino præſcribimus, omnia legata, donationes, aut quouis modo pietatis cauſſa relicta, integre perſoluant, ac reſtituant. Secus à Noſtris Deputatis per cenſuras, aliaque iuris remedia ad id compellantur, ſi opus fuerit, à quibus abſolui nolumus, niſi integre, ſatisfecerint.

C A P. II.

QVapropter omnibus noſtræ Diœceſis, vel Vrbis Notariis præcipimus, [1] vt teſtamenta codicillos, aliaſque diſpoſitiones ad pias cauſſas apud ipſos confecta magiſtris Notariis M.C. aliiſque curiarum foranearum, habita locorum ratione manifeſtare teneantur intra menſem à die mortis ipſius diſponentis, vel reſignati teſtamenti. Reliqua vero hactenus piè apud ipſos relicta, intra ſex menſes iiſdem ſignificare debeant. Non ſolum autem dictas vltimas voluntates, ac legata; ſed etiam nomina, ac cognomina eorum, qui legata condiderunt, ac locorum quibus ea obuenirent tempus quoque, aliaque in piorum locorum fauorem, quomodocumque cedentia ſimul commoſtrent; quæ omnia noſtri Magiſtri

1 Iura superi. allegata. Synod. Messanen. sub tit. de real per not. piis disposit.

Notarij in libris ad id peculiariter destinatis, ordine adnotent. Volumus [1] insuper hæc à Vicarijs foraneis in Diœcesi, in Vrbe vero ex Vicarij nostri generalis iussu Notarijs sub pœna vnciarum sex pro quolibet legato non reuelato intimari: at nostri Magistri Notarij, nisi in his obedierint pœnam arbitrariam subeant.

[1] S. Carol. de testam. ca. 3. in 3. par. in titu. formule varie.

CAP. III.


IN hanc executionem nostri Deputati maxima, ac peculiari diligentia incumbant, sibique id præcipue commissum, putent: ac de iis sæpius nos certos reddant. Archipresbyteri etiam, ac Curati tribus diebus Dominicis quadragesimali tempore coram populo frequentiore constitutionem hanc nostram enuncient, idemque accepta occasione frequenter Concionatores, ac cōfessarii moneant. Volumus autem, vt quæ in hanc rem decreuimus, statim, ac fuerint publicata omnes obligent, ac si singulis intimata fuissent.

CAP. IV.

SAne vt in exequendis vltimarum voluntatum piis dispositionibus seueri esse volumus, ita in iis moderandis, quia pro

ratione


ratione temporum difficile peragi possunt, pro earum faciliori executione prouidi esse debemus. Cum igitur ingentem aliquando missarum numerum ab Sacerdotibus celebrandum exiguæ Stypis atq; eleemosynæ largitione facta, impositũ inuenerimus plurimis in locis, quos inter visitationem perlustrauimus, vt qui Altari deseruiant, inde omnino viuere non possint. Quamobrem ut ne ~~vt~~ caducæ omnino vltimæ morientium voluntates euanescerent, & ipsæ legationes in alienos vsus retorquerentur; propterea in præsenti Synodo statuimus, vt omnes in posterum Archipresbyteri Parochi, ac Cappellani cum eas testantium voluntates nobis notas fecerint, ei taxæ, ac stypis quantitati pro Missis stent quæ à nobis fuerint attentis rerum, locorum temporum, annonæq; conditionibus redactæ in singulis nostræ Diœcesis partibus.



DE CONCVBINARIIS.

Titulus Vigesimus primus.

CAP. I.



T fornicationibus, atque adulterijs, quæ [1] hisce temporibus cum maxima animarum pernicie, ac scandalo latissime grassant efficacius remedium adhibeamus, omnibus cuiuslibet dignitatis, status, gradus, ac conditionis sint, siue in proprijs, siue in alienis domibus: palam, vel occulte concubinas retineant, [2] vel alant sub diuinæ indignationis metu præcipimus, vt intra dies quindecim, quorum quinque pro primo, quinque pro secundo, quinque pro tertio, vltimo, ac peremtorio termino tribuimus, concubinas à se eijciant, vel si in aliena domo eas retinuerint, ab earum consuetudine, atque accessu prorsus abstineant, vt omnem concubinatus suspitionem tollant sub pœna excommunicationis, & alijs pœnis in sacris Conc. contentis.

1 Conc. T. sess. 24. de reform. matr. c. 8.

2 Synod. Messan. hoc tit.

CAP. II.

LEnones quoque vtriusque sexus, [1] qui diabolico afflati instintu mulieres quascumque


1 Synod. diœces. Messan. sub ti. de lenonib.

cumque ad turpitudinem sollicitant; vel turpi quæstu vxores, filias sorores, aut alias extraneas, proprijs, vel alienis domibus prostituendas, retinent, prima vice vnciarum viginti, ac fustigationis pœnæ subdantur; si vero iterum, in his diliquisse comperiātur, prçter dictas pœnas à nostra Diœcesi ablegentur. Sane quæ in hoc titulo instituimus, quotannis prima, vel secunda Dominica Quadragesimæ populo enucientur.

DE CONSTITVTIONVM OBSERVATIONE.

Titulus Vigesimus secundus.

C A P. I.



Voniam vero quæ ad salutem animarum tanto studio excogitata, atque disposita sunt, nullam omnino vtilitatem secum afferent, si ea tantum scriptis commendata sint; nec à Curatis diligenter addiscantur, alijsque opportune inculcentur. Vltima hac constitutione præcipimus, vt Parochi omnes Synodalium horum Decretorum librum apud se retineant, eumque singuli cum suis clericis ter in anno, nē-

pe

pe die Circumcisionis Dominicæ, die octauo Paschatis Resurrectionis, ac die Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis integre, & accurate per aliquot proxime insequentes dies perlegant, cæterisque omnia seruanda proponant, eorumq; executionem impense promoueant. qua in re si negligentes Curati fuerint, eorum executionem singulis Vicarijs commendamus, ac de ijs Nostri Deputati certiores faciant.

CAP. II.

DEcreuimus etiam præsentis Synodi virtute nihil derogatum esse alijs constitutionibus Synodalibus per nostros prædecessores statutis, ac per Nos confirmatis, nisi in ijs tantum, in quibus expresse contra vel mitius aliquid, vel rigorosius disponitur. Censuras vero à prædecessoribus nostris in eisdem Synodalibus constitutionibus latas ad animarum laqueos euitandos, reuocamus, & annullamus: ijs tantum firmis manentibus, quæ in hac Synodo approbatæ sunt. in hoc tamen nullo modo fauere intendimus ijs, qui ob violata priorum Synodorum decreta, censuram aliquam incurrerunt.

Cap.

CAP. VIII.

CEterum ad singula hæc Decreta, ac Constitutiones post tempus bimestre, à die, quo publice fuerint lecta, ac publicata, volumus, ac enixe præcipimus omnes, & singulos cuiuscumque status, gradus, dignitatis, ac conditionis, teneri, ligari, & obligari; ac si de facto omnibus, ac singulis fuissent intimata, nisi vbi peculiariter in singulis dispositionibus, iussum est.

Omnia, & singula quæ pro sacri Concilij Trid. decretis exequendis, atque animarum nobis creditarum salute curanda, & catholica fide augenda in hac Messan. Diœcesana synodo decretũ, ac statutũ est, omni, qua par est humilitate, atq; obedientia iudicio sanctæ Romanæ Ecclesiæ subijcimus, atque emendanda, vel reformanda supponimus. Eaq; lege condita hæc, vt promulgata fuisse, publice declaramus.

PROFESSIO ORTHODOXAE FIDEI *à Græcis facienda iussu Sanctissimi Domini Nostri Domini Gregorij XIII. edita.*

EGo N. firma fide credo, & profiteor omnia, & singula quæ con-

tinentur in Symbolo fidei, quo sancta Romana Ecclesia vtitur, videlicet.

Credo in vnum Deum patrem omnipotẽtem factorem cæli, & terræ visibilium omnium, & inuisibilium; Et in vnum Dominũ Iesum Christum filium Dei vnigenitum; & ex patre natum ante omnia sæcula Deum de Deo, lumen de lumine, Deũ verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantialẽ patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutẽ descendit de cælis. Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine, & Homo factus est, Crucifixus etiam pro nobis, sub Pontio Pilato, passus, & sepultus est: Et resurrexit tertia die secundum scripturas, & ascẽdit in cælum, sedet ad dexteram Patris, & iterum venturus est cum gloria iudicare viuos, & mortuos cuius regni non erit finis: Et in spiritum sanctum Dominum, & viuificantem, qui ex Patre, Filioque procedit, qui cum patre, & filio simul adoratur, & conglorificatur, qui loquutus est per prophetas: Et vnam sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam, confiteor vnum Baptisma, in remissionem peccatorum, & expecto resurre

surrectionem mortuorum, & vitam venturi sæculi. Amen.

Credo etiam, suscipio, ac profiteor ea omnia quæ sacra Oecumenica synodus Florentina, super vnione Occidentalis, & Orientalis Ecclesię diffiniuit, & declarauit: videlicet, quòd Spiritus Sanctus à Patre, & Filio æternaliter est, & essentiam suam suumque esse subsistens habet à Patre, simul, & Filio; & ex vtroq; æternaliter, tanquam ab vno principio, & vnica spiratione procedit. cùm id quod sancti Doctores, & Patres dicũt ex patre per Filium procedere Spiritum Sãctum, ad hanc intelligentiam tendat, vt per hoc significetur Filium quoque esse secundũ græcos quidem causam, secundùm latinos verò principium subsistentiæ Spiritus Sancti sicut & Patrem. Cumq; omnia, quæ patris sunt ipse pater vnigenito Filio suo gignendo dederit, præter esse Patrem, hoc ipsum quòd Spiritus Sanctus procedit ex Filio, ipse Filius à Patre æternaliter habet; à quo æternaliter etiam genitus est, illamque verborum illorum (filioque) explicationem, veritatis declarandæ gratia, & imminente tunc necessitate licitè, & rationabiliter

Symbolo fuisse appositam.

Item in Azimo, siue fermentato pane triticeo, corpus Christi veraciter confici: sacerdotesque in altero ipsum Domini corpus conficere debere, vnumquemque scilicet iuxta suæ Ecclesiæ, siue Occidentalis, siue Orientalis consuetudinem.

Item si verè pœnitentes in Dei charitate decesserint antequam dignis pœnitẽtiæ fructibus de commissis satisfecerint, & ommissis, eorum Animas pœnis Purgatorij, post mortem purgari, & vt à pœnis huiusmodi releuentur prodesse eis fidelium viuorum suffragia, Missarum, scilicet sacrificia, orationes, & eleemosynas, & alia pietatis officia, quæ à fidelibus pro alijs fidelibus fieri consueuerunt, secundum Ecclesiæ instituta; Illorumque animas, qui post baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quæ post contractam peccati maculam vel in suis corporibus, vel eisdem exutæ corporibus, prout superius dictum est, sunt purgatæ, in cœlum mox recipi, & intueri clàre ipsum Deum, trinum, & vnum sicuti est, meritorum tamen diuersitate, alium alio perfectius; illorum autem

animæ, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere pœnis tamen disparibus puniendas.

Item sanctam Apostolicam sedem & Romanum Pontificem, in vniuersum orbem tenere primatum, & ipsum Pontificem Romanum, successorem esse Beati Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusq; Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum Patrem, & Doctorem, & ipsi in Beato Petro pascendi, regendi, & gubernandi vniuersalem Ecclesiam à Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in actis œcumenicorum conciliorum, & in Sacris Canonibus continetur.

Insuper profiteor, ac recipio alia omnia, quæ ex decretis Sacræ œcumenicæ generalis Synodi Tridentinæ, Sacrosancta Romana, & Apostolica Ecclesia etiam vltra contenta in supradicto fidei Symbolo profitenda, & recipienda proposuit atque præscripsit vt sequitur.

Apostolicas, & Ecclesiasticas traditiones, reliquasque eiusdem Ecclesiæ obserua-

tiones, & Constitutiones firmissimè admitto, & amplector.

Item sacram scripturam, iuxtà eum sensum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Ecclesia cuius est iudicare de vero sensu, & interpretatione sacra scripturarum admitto, nec eam vnquam nisi iuxtà vnanimem consensum Patrum accipiam, & interpretabor.

Profiteor quoque septem esse verè, & propriè sacramenta nouæ legis à Iesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, (licet non omnia singulis) necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam vnctionem, Ordinem, & Matrimonium, illaque gratiam conferre, & ex his Baptismum, & Confirmationem, & Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse.

Receptos quoque, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in supradictorum omnium sacramentorum solemni administratione recipio, & admitto.

Omnia, & singula, quæ de peccato originali, & de iustificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt

runt, amplector, & recipio.

Profiteor pariter in Miſſa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium ſacrificium, pro viuis, & defunctis, atque in ſanctiſſimo Euchariſtiæ ſacramento eſſe verè, realiter, & ſubſtantialiter corpus, & ſanguinem, vnà cum anima, & diuinitate Domini Noſtri Ieſu Chriſti, fierique conuerſionem totius ſubſtantiæ panis, in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem, quam conuerſionem Catholica Eccleſia tranſubſtantiationem appellat.

Fateor etiam ſub altera tantum ſpecie, totum, atque integrum Chriſtum, verumq; ſacramentum ſumi.

Conſtanter teneo, Purgatorium eſſe, animaſque ibi detentas, fidelium ſuffragijs iuuari; Similiter, & ſanctos, vnà cum Chriſto regnantes, venerandos, atque inuocandos eſſe, eoſque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias eſſe venerandas.

Firmiſſimè aſſero, Imagines Chriſti, atq; Deiparæ ſemper Virginis, nec non aliorum ſanctorum habendas eſſe, & retinendas, atq; eis debitum honorem, ac venerationem impartiendam.

Indul

Indulgentiarum etiam potestatem, à Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque vsum Christiano populo maximè salutem esse affirmo.

Sanctam Catholicam, & Apostolicam, Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarũ Matrem, & Magistrã agnosco, Romanoq; Põtifici Beati Petri Apostolorum principis successori, ac Iesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo, ac iuro.

Cætera item omnia à sacris Canon. & ęcumenicis Concilijs, & præcipuè à sacrosancta Tridentina Synodo, tradita, definita, & declarata indubitanter recipio, atque profiteor, simulque contraria omnia; atq; hęreses quascunque ab Ecclesia damnatas, & reiectas, ac anathematizatas ego pariter damno, reijcio, & anathematizo.

Hanc veram Catholicam fidem, extra quam Nemo saluus esse potest; quam in pręsenti sponte profiteor, & veraciter teneo, eandem integram, vsque ad extremum vitæ spiritum constantissimè (Deo adiuuante) retinere, & confiteri, atque à meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, & prædicari, quan-

tum

tum in me erit curaturum.

Ego idem.

Spondeo Voueo, ac Iuro; ſic me Deus adiuuet, & hæc ſancta Dei Euangelia.

DEO TER MAXIMO, VIRGINI DEIPARAE, Plac.do, Flauiæ, cæteriſq; Socijs ſanctiſſimis Aeterna laus.

Indictio futuræ Synodi, quæ quotannis celebranda erit.

COmpertum eſt, ac ſatis perſpicuum conditis legibus, & conſtitutionibus, quædam ſemper pro tempore de nouo emergere, quæ noua indigent operatione, mature ſtatuenda ea propter Sanctorum Patrũ, ac Sacr. Conc. Trid. veſtigijs inhærendo ſingulis annis Diœceſanam Synodum celebrandam indicimus, ac Capitulum, Dignitates omnes, Abbates, Priores, Archiprsbyteros, Parochos, & Curatos, & ſingulos coadiutores, & cooperatores noſtros, qui de iure, vel conſuetudine diœceſana nobis lege ſubditi, ad Synodum venire, & perſonaliter intereſſe tenentur præſenti Conſtitutione, & Edicto in plena Synodo publicato citamus,

inti

intimamus, requirimus, & conuocamus; quatenus Dominica secunda mensis Octobris, cuiuslibet anni personaliter ad Metropolitanam Ecclesiam nostram Messanen. se conferant pro Synodo celebranda, sub pœna arbitraria Metropolitanæ Ecclesiæ nostræ applicanda, alijsque pœnis arbitrio nostro inferendis, nisi legitime impediti fuerint, & de huiusmodi impedimento Nos publicis probationibus, faciant certiores; Mandantes ad cautelam Idibus Septembris Valuis Ecclesiæ nostræ Metropolitanæ, Edictum Indictionis Synodi affigi, & die precalendata celebrari, nisi grauia impedimenta in aliud tempus præter intentionem nostram differri, compellant.

F I N I S.



INDEX TITVLORVM QVI IN HAC DIOECESANA SYNODO CONTINENTVR.

IN PRIORE PARTE.

IN POSTERIORE PARTE.



